DE PLATONIS EPISTULIS.

SCRIPSIT

H. REINHOLD.

QUEDLINBURGII.
TYPIS EXPRESSIT C. VOGES.
MDCCCLXXXVI.

Beilage zum Quedlinburger Programm.
1886. Progr. No. 228.

Herrn Prof. Dr. W. Dittenberger
Hochwohlgeb.
in Halle
Ehrerbietigst der Verf.

DE PLATONIS EPISTULIS.

SCRIPSIT

H. REINHOLD.

QUEDLINBURGII
TYPIS EXPRESSIT C. VOGES.
MDCCCLXXXVI.

FRIDERICO BLASS
GUILIELMO LORENZ
PRAECEPTORIBUS HUMANISSIMIS
S.

I.

Quaestiones de origine ac fide epistularum, quae Platonis feruntur, novissimis temporibus institutae plerisque ad certum et stabilitum finem pervenisse videntur. Cum per totam antiquitatem et medium aevum nulla fere dubitatio exstitisset, quin haec scripta a Platone ipso essent profecta,* cum vel Bentleius, qui opere de Phalarideis conscripto demonstrasset maximum numerum epistularum antiquissimarum exercitationes scholasticas esse a secundo usque a. Chr. n. saeculo ortas, — harum quidem epistularum auctoritatem sustinuisset, ab exeunte proximo saeculo permulti vv. dd. contra disputaverunt. Ac licet qui primus eas impugnavit Meinersius magis novitate sententiarum quam argumentorum gravitate legentium animos moverit, mox validiores adversarii exorti sunt, Ast, Socher, Salomon, Wiegand, Westermann, Hermann, Ueberweg, Zeller, alii bene multi. Initio tamen plerique praestantiores saltem epistularum sive ipsi Platoni sive discipulo alicui eius vel familiari vindicaverunt; postea vero magis magisque ad eam sententiam delapsi sunt ne hoc quidem esse accipiendum. H. Th. Karstenus in fine libri, quo Sauppius aliique quaestionem fere absolutam esse existimaverunt,** haec profitetur: epistulas saeculo

---

* Nisi quod epistulae XIII in multis mss. praescriptum legimus νοθεύεται et in fine XIIae ἀντιλέγεται ὡς οὐ Πλάτωνος. Quoniam ipsa ep. XIIa facilem suspicionis ansam praebere non videtur, probabilis est Astii (Vita Platonis pg. 527 not.) coniectura utrumque ad ep. XIIIam spectare. Quae ratio fuerit grammatici, non liquet; nonnullas res viliores in illa commemoratas ut Platone indignas sprevisse eum coniecerim.

** In cuius libri cap. I etiam priorum criticorum opiniones accuratius recensitae sunt.

certe post Platonis mortem provenisse; opuscula esse rhetorum otiosorum, qui Platonem a variis criminibus partim litteris partim sermonibus sparsis defenderent, praeterea proprias doctrinas mysticis Pythagoreorum placitis vicinas ei supponerent atque philosophum caput arcanae cuiusdam societatis, partim etiam moderati regni fautorem fuisse fingerent; septimam epistulam ut gravissimam ita antiquissimam fuisse indeque deinceps ceteras fluxisse.

Ad eandem fere sententiam pervenit Steinhart (Plato v. M.-St. t. VIII et IX), nisi quod de singulis rebus haud raro dissentit: epistularum ille maxime auctoritate nisus vitam Platonis enarrat eis tantum rebus omissis, quae cum philosophi imagine, quam sibi ipse finxit, parum concinere viderentur; neque haec scripta tam male elaborata esse iudicat quam Karstenus.

Qui post illos hanc quaestionem attigerunt vv. dd. de maximis quidem rebus illis adsentiunt. Conferantur imprimis H. Sauppe (Goett. Gel. Anz. 1866 I. pg. 881 sqq.), G. Rohrer diss. Jen. 1874 et progr. Insterburg 1876*, H v. Stein: 7 Bücher zur Geschichte des Platonismus t. II pg. 158—197, maxime pg. 174 et 175 cum not., C. Schaarschmidt: die Sammlung der Platonischen Schriften pg. 61 — 81. E. Bachof (Goett. 1874), H. Mueller (Gryphisw. 1876), H. Stoessel (ibid. 1876) in dissertationibus de Plutarchi in vita Dionis fontibus. O. Heine in censura libri Steinhartii de vita Platonis scripti (Jahrb. für Philologie 1873 Bd. 107. Chaignet: la vie et les écrits de Platon 1871 pg. 17. 147—155. Ad. Holm: Sicilische Geschichte II pg. 378. Zeller: Geschichte der griech. Philosophie II, 1 (Plato) pg. 337 not. 349 not. 1, 368 not., 419 not. 1 et 2. A. Heinrich: Progr. Cilli 1880. rec. Philolog. Rundschau 1881 pg. 1263 sq.

Hi igitur vv. dd. cum de summa rerum consentiant, de ea tantum quaestione in diversas partes abeunt, quomodo

* Is Karsteni fere vestigiis ingressus stilum ep. VIIae neque Platonicum esse neque dignum Platone demonstrare studuit.

epistularum narrationes ad Platonis vitam illustrandam adhibendae sint. Cum Karsten, Steinhart, Zeller, Holm, alii non dubitarent, quin Plato itinera in Siciliam fecerit commerciumque habuerit cum Dione et Dionysio, Stein et Schaarschmidt sententia argumentis non firmata quaecumque ex hoc fonte erui solebant, ficta omnia atque commenta esse dixerunt. His tamen rursus contradixit Heinrich et quae ex epistulis depromi possent, quae minus, explorare studuit.

Denique laudo Dittenberger (Hermes 1881 t. XVI f III pg. 337) ita iudicantem: opinionem eorum, qui putent itinera a Platone in Magnam Graeciam et Siciliam suscepta atque commercium eius cum Dione et Dionysio habitum ficta esse, a nullo, qui quidem Platonem noverit, comprobari posse.

Unus ex vv. dd. recentioribus se epistulas Platonicas — excepta prima — prorsus genuinas habere professus est Groteus, rerum Graecarum celeberrimus scriptor. Confer eius Hist. Gr. (vers. Meissn.) V. pg. 656 not., VI pg. 116 not. 19 (de ep. IV); porro (Plato and the other companions of Socrates) pg. 203 not., 210 not., 220 not. Is dicit se iudice non esse causam, cur cum plerisque recentioribus criticis a veterum sententia — qui epistulas a Platone compositas esse existimaverint — recedatur; neque sibi opuscula vilia aut misere maleque conscripta videri: immo usque ad umbilicum optime illis illustrari Platonis et vitam et mores; repugnantias et difficultates historicas, quas recentiores invenisse sibi videantur, maximam partem non extare, nonnullas etiam ita solvi posse, ut Platoni scripta vindicentur. — Stilum epistularum iniquum esse ait praestantissimorum Platonis operum stilo metiri; colorem earum mysticum concinere cum Timaeo et libris de Legibus nec non cum senescentis Platonis Pythagorica vivendi ratione; difficile profecto esse a principio statuere, quo stilo Plato uti debuerit, quo uti ei non licuerit. Quod autem in ep. XIII res viliores ad communem hominum vitam pertinentes commemorentur, affirmat Platonem non deum, sed hominem esse considerandum. Maximum vero esse, quod auctor

epistularum, praecipue VIIae, tam bene res maxime Syracusanas noverit, ut nemo nisi qui oculis illa viderit, talia potuerit scribere; posterior scriptor si composuisset, futurum non fuisse, quin pluribus etiam locis secum dissentiret.

Hoc iudicium Grotei, prudentis ac sani critici, quod inauditum fere evanuit, dolendum: ut parentum aetas in crisi cum aliorum scriptorum tum Platonis nimiae audaciae se dedit, ita etiam in hoc litterarum genere ad avorum sententiam iure videtur redeundum. Itaque in animo est insequenti disputatione quae Groteus statuit accuratius demonstrare et firmare; atque ita quidem rem instituemus, ut historicas potissimum difficultates diluamus, deinde reliquas dubitationes paucis perlustremus.

II.

Dubitationes contra *αὐθεντίαν* ac fidem epistularum motae maxime sunt variae: omnium autem certe validissimas ac gravissimas iudico historicas. Profecto si gravia menda historica in eis rebus, quas Plato quidem bene debebat cognitas habere, auctori iure imputari possunt, consentaneum est fidem atque auctoritatem epistularum imminui. Verum quaeritur, an ceteri fontes, e quibus scriptorem coarguere conantur, narrationes dico historicorum nonnullis saeculis posteriorum, — quae sane ad antiquiores Timaeum, Ephorum Theopompum, alios redeunt —, parum fide sint digni ac potius maior auctoritas his epistulis, quas certum est medio iam tertio a. Chr. n. saeculo extitisse* tribuenda sit. Qua de re iam Ueberweg**, licet ipse ceteroquin epistulas spurias habeat, ad eum finem pervenit, ut illarum auctoritatem seriorum historicorum auctoritati praeferret.

1.

Maxime obscura atque intricata est de filio Dionis quaestio: Plato in Ep. IIIa, VIIa, VIIIa superstitem Dionis filium commemorat, Plutarchus contra Hipparinum, filium illius, paulo post, quam pater Syracusas revertisset, fortuita morte interiisse tradit.

Ex epistulis hi loci in quaestionem cadunt: Ep. III pg. 318 A — *τὰ δ' ἄλλα τῆς οὐσίας τῷ παιδὶ καταλείψειν αὐτοῦ*, Ep. VII pg. 345 C *εἶναι γὰρ* (scil. *τὰ χρήματα*) *οὐ*

* Cfr. Heinrich l. l. pg. 7.

** Untersuchungen über die Echtheit und Zeitfolge der Platonischen Schriften pg. 120—129.

Δίωνος, ἀλλὰ τοῦ υἱέος, ὄντος μὲν ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ κατὰ νόμους ἐπιτροπεύοντος. pg. 347 C *ἐξέπλευσε δὴ τὰ πλοῖα καὶ οὐκέτι μοι δυνατὸν ἦν πλεῖν, ὅτε δὴ καὶ Διονύσιος ἐμνήσθη λέγων, ὅτι τὴν ἡμίσειαν τῆς οὐσίας εἶναι δέοι Δίωνος, τὴν δ' ἡμίσειαν τοῦ υἱέος· ἔφη δὴ πωλήσειν αὐτήν, πραθείσης δὲ τὰ μὲν ἡμίσεα ἐμοὶ δώσειν ἄγειν, τὰ δ' ἡμίσεα τῷ παιδὶ καταλείψειν αὐτοῦ.* Deinde considerandus est in Ep. VIIae exordio hic locus pg. 324A *ὅτε γὰρ κατ' ἀρχὰς εἰς Συρακούσας ἐγὼ ἀφικόμην, σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα γεγονώς, Δίων εἶχε τὴν ἡλικίαν, ἣν τὰ νῦν Ἱππαρῖνος γέγονε, καὶ ἣν ἔσχε τότε δόξαν, ταύτην καὶ διετέλεσεν ἔχων Συρακοσίους [οἴεσθαι] δεῖν ἐλευθέρους εἶναι κατὰ νόμους τοὺς ἀρίστους οἰκοῦντας· ὥστε οὐδὲν θαυμαστόν, εἴ τις θεῶν καὶ τοῦτον εἰς τὴν αὐτὴν δόξαν περὶ πολιτείας ἐκείνῳ γενέσθαι σύμφρονα ποιήσειε,* quo loco sane dubitant vv. dd., utrum Dionis an Dionysii maioris ex Aristomacha filius intellegendus sit. In quaestionem vocanda sunt etiam quae Plato Dionem ad se scribentem facit Ep. VII pg. 328 A *τούς τ' ἑαυτοῦ ἀδελφιδοῦς καὶ τοὺς οἰκείους ὡς εὐπαράκλητοι εἶεν πρὸς τὸν ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενον ἀεὶ λόγον καὶ βίον ἱκανώτατοί τε Διονύσιον παρακαλεῖν.* — Denique in Ep. VIII pg. 356 A personatus Dio Syracusanis suadet, ut tripartitum regnum instituant; atque eis primo loco commendat suum ipsius filium, propter sua (Dionis) et patris sui Hipparini in civitatem Syracusanam merita: *πρῶτον μὲν βασιλέα στήσασθε τὸν ἐμὸν υἱὸν χαρίτων ἕνεκα διττῶν κτλ.*, altero loco Hipparinum, Dionysii I filium: *δεύτερον δὲ δὴ ποιεῖσθε βασιλέα τὸν τῷ μὲν ἐμῷ πατρὶ ταὐτὸν κεκτημένον ὄνομα, υἱὸν δὲ Διονυσίου χάριν τῆς τε δὴ νῦν βοηθείας καὶ ὁσίου τρόπου· ὃς γενόμενος τυράννου πατρὸς ἑκὼν τὴν πόλιν ἐλευθεροῖ, τιμὴν αὑτῷ καὶ γένει ἀείζωον ἀντὶ τυραννίδος ἐφημέρου καὶ ἀδίκου κτώμενος.* In fine autem eiusdem epistulae pg. 357 B haec extant: *ἔστι δὲ ταῦτα οὐκ ἀδύνατα· ἃ γὰρ ἐν δυοῖν τε ὄντα ψυχαῖν τυγχάνει καὶ λογισαμένοις εὑρεῖν βέλτιστα ἑτοίμως ἔχει, ταῦτα δὲ σχεδὸν ὁ κρίνων ἀδύνατα οὐκ εὖ φρονεῖ. λέγω δὲ τὰς δύο τήν τε Ἱππαρίνου τοῦ Διονυσίου υἱέος καὶ τὴν τοῦ ἐμοῦ υἱέος· τούτοιν γὰρ ξυνομολογησάντοιν τοῖς γε ἄλλοις Συρακοσίοις οἶμαι πᾶσιν, ὅσοιπερ τῆς πόλεως κήδονται, ξυνδοκεῖν.*

Jam vero ad Plutarchum nos convertamus: is in vita Dionis enarranda, maxime cap. III—XXII et extremis capitibus LII—LVIII, etiam in Dionis cum Bruto comparatione epistulis tanquam principali fonte utitur et multis locis permulta ex eis sive expressis verbis sive variatis adhibet. Negavit sane hoc Hermannus Stoessel (diss. Gryphisw. 1876), qui cum ex Plutarchi narratione origini epistularum lucem afferri posse arbitretur, coniecit Plutarchum duobus usum esse fontibus, altero historico, altero rhetorico; rhetoricum autem scriptorem ex eodem fonte relata deprompsisse, unde epistularum quoque auctor sua deprompserit, fortasse e Speusippi quodam libello: de qua coniectura quid iudicem, ex mea de origine epistularum sententia sponte patet.

Neque Bachofio (auctori diss. Gott. a. 1874) adsentior statuenti Plutarchum non ipsum ex epistulis hausisse, sed auctorem eius, quem, cum certum nomen indere non possit, academicum appellat, ex hoc fonte et aliunde sua concinnasse. Vide A. Holmium (in censura illius diss. annal. Burs. 1875/6 II pg. 95 inserta) disputantem non esse, cur Plutarchum ipsum ex epistulis narrationem suam deprompsisse negemus altero eoque plane ignoto scriptore interposito.

Licet ceteri, quibus Plutarchus utitur, fontes vinculo quodam cum epistulis coniuncti sint*, tamen cum eis non faciendum iudico, qui Plutarchum — sicut et alios scriptores antiquos — nihil suis, omnia aliorum studiis debere opinantur.

Multis ille locis epistulas laudat; commemorat etiam cap. XX quaedam cum ceteris fontibus non congruere; denique huius lectionis vestigia in aliis quoque scriptis Plutarchi reperiuntur; velut affero locum e vita Timoleontis cap. XI ext. *Χρυσὸν ἔδειξαν τῇ Σικελίᾳ τὰς ἐν τῇ τυραννίδι συμφορὰς καὶ μακαριωτέρους δοκεῖν ἐποίησαν τοὺς καταστρέψαντας ἐν τῇ δουλείᾳ τῶν ἐπιδόντων τὴν αὐτονομίαν*, quae verba aperte memoriam referunt loci Ep. VII pg. 324 D *Χρυσὸν ἔδειξαν κτλ.*

* Velut locus cap. XXI, ubi narratur Dionysium consilium cepisse uxorem Dionis alii collocare, ut memoriam refert eorum quae legimus Ep. XIII pg. 362 E, ita multo accuratiora praebet.

Itaque Plutarchum ipsum potissima quaeque ex hoc fonte eruisse statuo; praeter epistulas idem praecipue Timonidem adhibuit quibusdam narrationibus ex Ephoro, Theopompo, Timaeo intermixtis.

Illius igitur, ut ad ipsum propositum redeamus, hi loci in quaestionem veniunt: cap. XXI *ἀλλ' εἴα μένειν αὐτὴν* [*τὴν 'Αρέτην*] *μετὰ τοῦ παιδίου τοῦ Δίωνος.* cap. XXXI narratur Dioni epistulas ex arce Syracusarum allatas esse, e quibus una scripta a Dionysio nomen Hipparini, filii Dionis, prae se tulerit: *μία δ' ἦν ἔξωθεν ἐπιγεγραμμένη τῷ πατρὶ παρ' Ἱππαρίνου· τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῷ Δίωνος υἱῷ. Καίτοι φησὶ Τίμαιος 'Αρεταῖον αὐτὸν ἀπὸ τῆς μητρὸς 'Αρέτης καλεῖσθαι· Τιμωνίδῃ δὲ μᾶλλον, ὡς οἴομαι, περί γε τούτων πιστευτέον, ἀνδρὶ φίλῳ καὶ συστρατιώτῃ Δίωνος.* (Cfr. de hoc Dionysii dolo etiam Polyaeni Strateg. V,28). Ibidem: *τὴν δὲ τοῦ παιδὸς εἶναι δοκοῦσαν* — — —; [*ἐνῆσαν*] *δὲ καὶ κατὰ τῶν φιλτάτων ἀπειλαὶ σωμάτων, ἀδελφῆς καὶ τέκνου καὶ γυναικός.* Porro cap. LI describitur, quomodo Dio a suis receptus sit: *αἱ γυναῖκες ἐπὶ τὰς θύρας τῆς ἀκροπόλεως ἐξέδραμον, ἡ μὲν 'Αριστομάχη τὸν υἱὸν ἄγουσα, ἡ δ' Ἀρέτη κατόπιν εἵπετο.* — — *'Ασπασαμένου δ' αὐτοῦ πρῶτον τὴν ἀδελφήν, εἶτα τὸ παιδίον,* — — — *προσηγάγετο φιλοστόργως τὴν γυναῖκα· καὶ παραδοὺς αὐτῇ τὸν υἱὸν ἐκέλευσεν εἰς τὴν οἰκίαν τὴν αὐτοῦ βαδίζειν.* Cap. LV Plutarchus narrat a Dione quondam in somnio visam esse furiam domum everrentem; *μεθ' ἡμέρας δ' ὀλίγας ὁ υἱὸς αὐτοῦ σχεδὸν ἀντίπαις ὢν ἔκ τινος λύπης καὶ ὀργῆς μικρὰν καὶ παιδικὴν ἀρχὴν λαβούσης ἔρριψεν ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ τέγους εἰς τὴν κεφαλὴν καὶ διεφθάρη*; cap. autem LVI post Dionis filii interitum Callipum rumorem sparsisse, *ὡς ὁ Δίων ἄπαις γεγονὼς ἔγνωκε τὸν Διονυσίου καλεῖν 'Απολλοκράτην καί ποιεῖσθαι διάδοχον, ἀδελφιδοῦν μὲν ὄντα τῆς ἑαυτοῦ γυναικός, θυγατριδοῦν δὲ τῆς ἀδελφῆς.*

Denique in cap. LVII legimus Dionis uxorem in carcere filium postumum peperisse, paulo autem post auctore Callippo et illam et hunc ab Hiceta in itinere maritimo esse interemtos.

Cornelius Nepos cap. IV,3 tradit haec: (Dionysius II) filium eius (Dionis) sic educari iussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. — — — — Is usque eo vitae statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent), ut se de superiore parte aedium deiecerit atque ita interierit. Confer cap. VI,2: nam cum uxorem reduxisset, quae alii fuerat tradita, filiumque vellet revocare ad virtutem a perdita luxuria, accepit gravissimum vulnus morte filii. — Eadem fere exhibent Aelianus V. H. III cap. 4 et Plutarchus Opp. Moral. (Consol. ad Apoll. Ty.) II pg. 119 A B.

Recentiorum, qui in hanc obscuram rem inquisiverunt, alii ad alium perveniunt finem. Conferantur praecipue Salomon Progr. Gymn. Friederic. Berol. a. 1835 pg. 9—14 et 22—26, Karsten diss. pg. 150—154, Rohrer diss. pg 18—28. Ac plerique putant auctorem epistularum parum fuisse instructum, immo Plutarchum et Nepotem vel potius eorum fontes satis idoneos esse ad errores epistolographi redarguendos: Rohrerus contra cum Ueberwegio contra Salomonem et Karstenum existimat epistolographo fidem habendam esse, fontes autem posteriorum historicorum errorem admisisse.

Ac primum quidem Ep. VIII, ubi agitur de regni tripartiti sociis, de postumo Dionis filio sermonem esse non posse, vix est quod moneam. Porro absurdam esse coniecturam Platonem mortem Hipparini, Dionis filii, Athenis forsitan non comperisse, recte iudicat Salomon pg. 22 sq; debebat enim, cum Syracusanos bonis consiliis iuvare vellet, res eorum et tempora accurate scire. Neque verisimile illud esset, quoniam frequens per litteras commercium inter philosophum et amicos Siculos intercessit.

Plutarchus igitur, Nepos, Aelianus consentiunt unum fuisse Dioni filium, nomine Hipparinum: sic eum appellat Plutarchus cap. XXXI Timonidem secutus, Timaeum addit contra tradidisse Aretaeum illius fuisse nomen, Timonidi vero ut socio Dionis atque testi oculato potius fidem habendam.


Eum filium a Dionysio II absente patre corruptum paulo post huius reditum fortuita morte decessise. Quo facto Callippum rumorem in vulgus sparsisse Dionem pueris orbatum in animo habere Apollocratem, filium Dionysii II, adoptare.

Etiam epistulae unum filium commemorant, patris heredem Ep. III pg. 318 A, VII pg. 345 c. 347 E; quamquam nomen nullo loco additur: dubium enim est, an initio VIIae ep. Hipparinus, maioris Dionysii filius, intellegendus sit*; quo loco si sumemus Dionis filium non esse significatum, VIIam quidem epistulam gravi mendo liberabimus, tamen utique octavae epistulae loci remanent: ergo confitendum discrepantiam inter historicos et epistulas interpretandi quidem artibus removeri nullo modo posse.

Utri igitur fonti plus fidei tribuendum esse censebimus?

Ep. VIII pg. 356 A scriptor Hipparinum, Dionysii maioris filium, his verbis introducit: *τὸν τῷ μὲν ἐμῷ πατρὶ ταὐτὸν κεκτημένον ὄνομα, υἱὸν δὲ Διονυσίου* et pg. 357 C Dionem dicentem facit: *λέγω δὲ τὰς δύο [ψυχὰς] τήν τε Ἱππαρίνου τοῦ Διονυσίου υἱέος καὶ τὴν τοῦ ἐμοῦ υἱέος.* Unde mihi videtur posse concludi Dionis filio ibi memorato idem fuisse nomen, quod Hipparino, Dionysii maioris filio; certe rem ita se habuisse, ut ambo possent confundi**; quod ni fuisset,

* Haec ut melius intellegantur, conferatur hoc stemma:



** Hoc si recte collegerimus, non faciemus cum Hermanno coniciente de Apollocrate, quem Dio adoptaverit, sermonem esse; prae-

satis erat scribere Ἱππαρῖνον τὸν Διονυσίου vel solum Ἱππαρῖνον; additur vero illi sane idem nomen esse, quod patri Dionis, Dionysii autem (non Dionis) eum esse filium.

Facilis est coniectura e Timaei verbis apud Plutarchum, cum duo essent Hipparini eiusdem aetatis viginti fere annorum,* utriusque discernendi gratia alteri a matre Areta cognomen inditum esse Aretaeo.

Groteus (V pg. 657 not.) ex eadem ep. collatis Timaei verbis elicit praeter Hipparinum etiam alterum eumque minorem Dioni fuisse filium nomine Aretaeum: attamen, quomodo haec opinio cum ipsarum epistularum locis III pg. 318 A, VII pg. 345 C, 347 E apte conciliari possit, non video.

Pg. 357 C Dio declarat filium suum probe perspicere, qnae instituta Syracusanis saluti futura essent; nimirum bene novit auctor, qua ille tum esset aetate quoque ingenio atque indole.

Mirum profecto esset vel falsarium III a. Chr. n. saeculi, qui rerum Sicularum admodum gnarus esset — id quod docent ceteri plurimi epistularum loci — talem gravissimum lapsum admisisse.

Neque quae Plutarchus et Nepos narrant, veritatis speciem prae se ferunt. Rumori illi a Callippo sparso prae epistularum testimonio nihil equidem tribuendum iudico: iste homo perditissimus sermones militum vel vere dictos vel ab ipso fictos Dioni denuntiavit, quo magis in gratiam eius se insinuaret; quin consentiente Dione animos militum seditiosis colloquiis temptavit (Plut. cap. LIV). — Groteus autem V pg. 657 bene exponit falsissima isto rumore contineri, cum Dioni, etiamsi legibus princeps institutus fuisset, puerum aetate nondum corroboratum

---

terea Dio filium propter patris Hipparini et sua ipsius in civitatem Syracusanam merita commendat atque Apollocrates, cum Dionysii II heres esset, etiam regnum ep. VIII ad patrem delatum hereditate accepisset.

* E toto rerum conexu, qui in ep. VIIIa extat, Dionis filium paulo minorem fuisse suspicor.

accersere successorem minime licuerit. Itaque hoc si Callippus credulis militibus ementitus est, etiam mortem Hipparini (fortasse cum hic in morbum incidisset) fingere potuit: unde ceterae fabulae de Dionis filio a Dionysio II corrupto ac mox miro casu interemto initium cepisse videntur. Atque Timaeum imprimis, Dionysiorum vehementissimum adversarium, eos rumores vel ipsum finxisse vel auxisse conicio.

Nepos certe incredibilia tradit: Dionysius II, quamvis levis ceteroquin et inconstans tyrannus, non ea morum fuit immanitate, ut sororis suae filium nefarie voluptatibus puerum corrumperet.

Neque minus ficti est simile, quod eidem auctores tradunt depravatum puerum, cum frugaliorem victum ferre non posset, de aedibus se deiecisse itaque mortem oppetiisse foedissimam; quam rem tristissimam constanti Dionem tulisse animo praedicant Aelianus l. III cap. 4 et Plutarchus Opp. Mor. pg. 119. —

Utut singula sese habent, narrationibus historicorum fabularum plenis non tantum tribuendum est auctoritatis, quantum simplicibus verbis epistularum, fontis antiquissimi.

Uter autem Hipparinus ep. VIIae exordio pg. 324 A intellegendus sit, multum vv. dd. disceptaverunt: consentaneum esse aiunt cum aetate Dionis, qua fuerit Platonis adventu, aetatem filii aptius componi et sponte se offerre sententiam, qualis pater fuerit, talem etiam filium futurum; attamen, ne urgeam accuratiorem eius necessitudinis mentionem desiderari, alterum non minus aptum sensum admittit (cfr. Karsten pg. 45 et 153): scil. ut Dio in ea condicione, qua speraret se aliquantum conferre posse ad Platonis sententias ad effectum adducendas, has facili animo acceperit et per vitam retinuerit, sic sperari posse numine divino* etiam Hipparinum, qui tum in simili

* Nimis severe hunc locum castigat Ueberweg (Untersuch. l. l.)

condicione erat atque olim fuerat Dion, eisdem sententiis imbutum iri.*

Equidem eo inclino, ut putem Dionysii I. filium h. l. significatum esse, quoniam hic maioris tum potentiae ideoque maioris spei erat, ut Dionis familiarium maxime interesset socium eum sibi et consiliorum participem adsciscere.

Testantur verba ep. VIII pg. 356 A *Χάριν τῆς τε δὴ νῦν βοηθείας καὶ ὁσίου τρόπου· ὅς γενόμενος τυράννου πατρὸς ἐχὼν τὴν πόλιν ἐλευθεροῖ, τιμὴν αὑτῷ καὶ γένει ἀείζωον ἀντὶ τυραννίδος ἐφημέρου καὶ ἀδίκου κτώμενος.* Cfr. etiam pg. 357C.**

Callippus quo tempore adversus Catanam profectus erat, Hipparinus Syracusas occupaverat ibique plurimum poterat.

Quod vero Plato nimiis laudibus eius merita effert, hoc inde factum videtur, quod expulso Callippo, Dionis interfectore, magnopere gaudebat. Ex Diodoro sane (XVI,36) comperimus Hipparinum per biennium crudeliter se gessisse; deinde ei successisse fratrem Nysaeum, Nysaeo rursus Dionysium, donec tandem Timoleon veram Siciliae salutem attulerit; atque de omnibus istis ante hunc sospitatorem principibus ab aliis scriptoribus velut Aristotele et Theopompo (cfr. Grote VI pg. 107) parum benigne iudicatur: ideo tamen Platoni quod initio optimam de adolescente Hipparino spem concepit ac professus est, non est opprobio vertendum.

Jam si Hipparinus, Dionysii I filius, a. 352 eadem aetate erat, qua Dion primo Platonis adventu, XX igitur vel XXI annorum, a. 367, quo Dionysius II patri successit, sextum demum vel septimum annum agebat, frater autem Nysaeus etiam minor erat. Constat ex Plutarcho (v. Dion. cap. III) duos Aristomachae filios multo minores natu

---

* Muellerus quod vertit (T. VIII,1 pg. 392 coll. not. 5 pg. 429 sq.): „itaque non mirum, si quis deorum illum mecum (*ἐκείνῳ* = *Πλάτωνι*) de republica administranda consentientem fecit“: haec interpretatio olim a Schlossero inventa refutata est a Salomone diss. pg. 9.

** Dionis autem filii nullae res gestae praedicantur.

fuisse quam Dionysium II., Locridis (Ep. II pg. 313 A) filium, qui a. 367. fere XXV annos natus erat. Cfr. Grote VI pg. 46 not. 3. Namque illius filius Apollocrates, qui a. 356/5 praesidio arcis in Ortygia sitae praeerat, tum ad minimum annum fere septimum decimum agebat; natus igitur erat a. fere 372; quodsi Dionysius II viginti fere annos natus matrimonium iunxit, a. 367 XXV erat annorum. Ea autem aetas concinit cum locis epistularum III pg. 316 C et VII 328 A.

Haec tempora si recte collecta sunt, sponte patet Ep. VII pg. 327 C D E de Hipparino et Nysaeo sermonem esse non posse, quo loco Dio Platonem invitat *τούς τε αὑτοῦ ἀδελφιδοῦς (καὶ τοὺς οἰκείους) λέγων, ὡς εὐπαράκλητοι εἶεν πρὸς τὸν ὑπ' ἐμοῦ* (scil. *Πλάτωνος*) *λεγόμενον ἀεὶ λόγον καὶ βίον ἱκανώτατοί τε Διονύσιον παρακαλεῖν.*

Salomon pg. 13 sq. et Karsten pg. 150 repugnantiam ibi reperiunt: Quid, aiunt, pueris sex septemve annorum cum philosophia? Hoc quidem illi recte: at equidem non video, cur opinio admitti non possit — id quod negat Salomon pg. 14 — alios ibi nepotes Dionis significatos esse, velut filios fratris Megaclis (Plut. cap. XXVIII). Quod de hisce nihil aliunde comperimus, non multum refert, quoniam omnino illorum temporum historia admodum tenebris est involuta.

Affirmat Salomon: ad hos solos (scil. Hipparinum et Nysaeum) utpote Dionysii minoris fratres quemvis duci et ipsa re et toto sententiarum nexu; de quibus contra sentio: mirum esset, quod Dionis *ἀδελφιδοῖ*, non Dionysii fratres dicuntur; ac quod ille vir doctus dicit similibus locis Plut. cap. VII et XIV, Nep. Dion. cap. II extr. eodem eos nomine citari, horum quidem locorum alia est ratio; ibi enim nepotes Dionis Dionysio opponuntur ut Dioni propinquiores.*

Singulare profecto esset, si sperari potuisset fratres multo aetate minores aliquid conferre posse ad Dionysii

* Opprobrio vertebant multi Dionysio II, quod patrium imperium nihil curaret atque Dioni eiusque nepotibus permitteret.

mores corrigendos, id quod sperare se profitetur Dio Ep. VII pg. 328 A.

Quae cum ita sint, ego non puto h. l. cum interpretibus de Hipparino et Nysaeo cogitandum esse.

2.

Has difficultates quoniam expedivimus, cetera quae contra epistulas dicta sunt, facilius removebuntur. Tempora enim epistularum, quae quibusdam vv. dd. cum rerum historia parum concinere visa sunt, optime se habere iam demonstrabo.

Lubet autem de ep. I pauca praemonere. In plerisque mss. cum illa inscriptione careret, priores editores addidere: *Πλάτων Διονυσίῳ εὖ πράττειν*; post Ficinum contra multi eam a Platone abiudicantes Dionis nomine inscripserunt, velut Hermannus in ed. et Steinhartius VIII pg. 337. Karstenus tamen pg. 20 contendit Platonis nomen esse restituendum: Dioni enim ep. non magis convenire quam ipsi philosopho. Qua in re non assentior; Platonis ea nullo modo esse potest ac, si a rhetore aliquo est confecta, tamen etiam hunc Dionem auctorem voluisse existimo. Neque enim acerba exprobratio, quod auctorem Dionysius indigne eiecerit neque viaticum remissum in Platonem quadrant.

Sane Ep. VII pg. 350 B argentum huic proficiscenti datum esse traditur, at etiam Dioni, cum in exilium mitteretur, datum esse verisimile est, licet postea quotannis praediorum suorum reditus acceperit.

Neque Platonem viaticum acceptum remisisse probabile: nam admodum placato animo erga Dionysium erat, cum rediret et primo tempore post quam redierat ex tertio itinere; cfr. ep. VII pg. 340 A: *καὶ τούτων γε μετὰ θεὸν Διονυσίῳ χάριν εἰδέναι χρεών, ὅτι πολλῶν βουληθέντων ἀπολέσαι με διεκώλυσε καὶ ἔδωκέ τι μέρος αἰδοῖ τῶν περὶ ἐμὲ πραγμάτων·* atque Dioni Olympiis se respondisse Plato perhibet ep. VII pg. 350 C: *σὺ μετὰ τῶν ἄλλων βίᾳ τινὰ τρόπον σύσσιτον*

καὶ συνέστιον καὶ κοινωνὸν ἱερῶν Διονυσίῳ ἐποίησας, ὃς ἴσως ἡγεῖτο διαβαλλόντων πολλῶν ἐπιβουλεύειν ἐμὲ μετὰ σοῦ ἑαυτῷ καὶ τῇ τυραννίδι, καὶ ὅμως οὐκ ἀπέκτεινεν, ᾐδέσθη δέ· quam ob rem Plato socius expeditionis contra Dionysium fieri recusat.*

Karstenus pg. 89 cum Wiegandio (Symb. crit. de Ep. II pg. 8) putat his longe anteponendam esse narrationem, quam Plutarchus cap. XX exhibeat, quoniam Platonis moribus dignior sit eiusque sententiae magis conveniat: videlicet cum Dionysius Platonem abeuntem rogasset, ne invidiosis de se sermonibus suae apud Graecos existimationi noceret, hunc respondisse: μὴ τοσαύτη λόγων ἐν Ἀκαδημείᾳ γένοιτο σπάνις, ὥστε σοῦ τινα μνημονεῦσαι; animadvertit tamen idem scriptor hoc cum Platonis epistulis non concinere.

Equidem vero haud scio an illud, quod Plutarchus tradit, dictum pro leni atque humana philosophi indole nimis asperum, invenustum, superbum sit; immo epistulae omnino fides videtur habenda; Plutarchus nil voluit nisi narratiunculam afferre.

Jam ut ad primam ep. redeamus, si Plato auctor esset vel fingeretur, sane esset, cur offenderemus (Karsten pg. 20) plurali numero in initio (ὑμῶν, ὑμετέραν ἀρχήν), cum paulo post oratio ad ipsum Dionysium se convertat et hunc usque ad finem scriptor alloquatur; at ὑμῶν non Dionysium eiusque fratres vel propinquos significat, sed Dionysium I et II; sub utroque enim Dio gravissimis magistratibus functus erat; certe de Dione multo melius quam de Platone intelleguntur quae legimus: διατρίψας ἐγὼ παρ' ὑμῖν χρόνον τοσοῦτον καὶ διοικῶν τὴν ὑμετέραν ἀρχὴν

*) Quod offenderunt vv. dd. initio ep. IV: οἶμαι μὲν φανερὰν εἶναι διὰ παντὸς τοῦ χρόνου τὴν ἐμὴν προθυμίαν περὶ τὰς συμβεβηκυίας πράξεις καὶ ὅτι πολλὴν εἶχον περὶ αὐτῶν σπουδὴν εἰς τὸ ξυμπερανθῆναι, quae verba cum illo loco VII 350 C parum congruere viderentur, vix est quod offendamus: praeterquam quod Plato fortasse, cum Dioni omnia prospere cederent, cum favore ac studio eius conatus prosecutus est, potest locus etiam ita intellegi, ut sit urbanitatis paululum exaggerantis formula.

πεπιστευμένος πάντων μάλιστα et paulo infra: *πολλάκις τὴν ὑμετέραν πόλιν διαφυλάξας.**

Quibus de causis cum Groteo et plerisque editoribus hanc epistulam Dioni tribuo. Probabile est eam a grammatico, cum inscriptio olim fuisset omissa, in hunc locum transportatam esse, quippe cui apte primum huius collectionis locum obtinere videretur. Cum vero iam Thrasyllus IV epistulas ad Dionysium datas numerarit, colligendum illud ante huius grammatici tempora accidisse, nisi forte in alicuius omissae locum eam successisse conicies.

Porro Karstenus pg. 21 de Ep. I et XIII, quarum altera implacabile odium spiret, altera intimam familiaritatem redoleat, dicit: „et tamen ambae circa idem tempus scriptae finguntur, eo scilicet tempore, quo Plato ob iniurias Dioni illatas, turpem relegationem, vendita bona, uxorem alteri datam Dionysio vehementer infensus esset.“

Primam igitur quoniam Dioni tribuimus, mittamus, XIIIae autem tempus non recte a Karsteno est definitum: omnium enim certe tempore est prima.

Cuius rei multa sunt argumenta. — — Ep. XIII pg. 360 C—E Dionysio commendatur Helico Cyzicenus. Is autem cum Platone, dum iterum versatur in Sicilia, fuisse perhibetur** et defectionem solis, quae mox — die XII m. Maii a. 361 (cfr. Heinrich pg. 15 et 16) — secuta sit, praedixisse. Cum qua re cetera pulchre conveniunt: Platonem enim scimus (VII pg. 350 B coll. Diogene III,25,

---

* Ceterum in Ep. I variorum poetarum loci temere congeruntur, cum Plato in ceteris epp., quae ex poetis deprompsit, apte orationis conexui intexat, velut VII pg. 344 D et 345 E versus Homericos, XI pg. 359 A versum ex Hesiodo petitum. Etiam verba II pg. 312 D (*ἵν' ἄν τι ἡ δέλτος*) *ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ*, III pg. 317 D *οὔ κακὸν οὐδὲν μεῖζον γεννᾷ πλοῦτός τε καὶ τῆς ἄλλης ἐξουσίας δύναμις* et pg. 319 C *μή μοι στένος γίγνοιτο ἀντ' εὐρυχωρίας*, VII pg. 329 D *τὰς δὲ τῶν τυράννων δεήσεις ἴσμεν, ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσίν*, denique sententia quae quartam claudit epistulam *ἡ δ' αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος* poesin sapere videntur.

** Cfr. Plut. cap. XIX, de quo testimonio omnino non est quod dubitemus.

qui auctore utitur Neanthe Cyziceno) a. 360 Olympiis cum Dione congressum esse; anni igitur 361 vere tertium in Siciliam transiit ibique per annum commoratus est; Dionysius (pg. 346 C) eum cohortatus est, ut illum annum maneret et proximo vere aveheretur; auctumno autem a. 361 (pg. 347 C) profectis omnibus navibus redeundi in patriam Platoni copia non fuit. — Itaque commendationem Heliconis nonnullis ante annis locum habuisse colligendum est et quidem paulo post quam Plato a priore ad Dionysium II profectione rediit. Quo enim tempore profectus est, inter utrumque convenit, ut tum quidem bello urguente abiret, post vero reverteretur; cfr. Ep. VII pg. 338 A *Διονύσιος μὲν ἔφη μεταπέμψασθαι Δίωνα καὶ ἐμὲ πάλιν καταστησάμενος τὰ περὶ τὴν ἀρχὴν ἀσφαλέστερον ἑαυτῷ κτλ.* et III pg. 317 A.

Holmius autem II pg. 454 iure non multum tribuit Heinii dubitationibus, qui (Ann. Phil. t. 107) disputaverat nos nescire, quod bellum significatum sit neque intellegi posse, cur Platoni ea causa fuerit abeundi; probabile est bellum fuisse contra Carthaginienses: in quo parando occupatus Dionysius litterarum studiis iam non vacavit.

Deinde Ep. XIII pg. 361 C philosophus dicit puellis quibusdam familiaribus dotes a se esse dandas: *εἰσί μοι ἀδελφιδῶν θυγατέρες τῶν ἀποθανουσῶν τότε, ὅτ' ἐγὼ οὐκ ἐστεφανούμην, σὺ δ' ἐκέλευες, τέτταρες, ἡ μὲν νῦν ἐπίγαμος, ἡ δ' ὀκταέτις, ἡ δὲ σμικρὰ πρὸς τρισὶν ἔτεσιν, ἡ δὲ οὔπω ἐνιαυσία· ταύτας ἐκδοτέον ἐμοί ἐστι κτλ.* In his quaedam res respicitur, quae accidit, cum Plato apud tyrannum versaretur; scilicet hic clarissimum amicum id abnuentem in sollemnibus vel simili occasione coronare voluit; tum autem ipsum nuntius de mortuis sororum filiabus est allatus. Si vero alterius filiola tum, cum epistula scripta est, *οὔπω ἐνιαυσία* erat, illam paucis mensibus post quam Plato e Sicilia redierat, scriptam esse liquet.

Atque Dionis uxor cum a. 360 iam alteri esset collocata, etiam e loco ep. XIII pg. 360 E efficitur priorem esse

hanc epistulam, quoniam eo loco non agitur nisi de consilio illo.

Neque in fabulosa, ut aiunt (Steinhart VIII pg. 321), matris Platonis aetate offendendum: Plato a. 365/4 fere 62 annos natus erat; ergo mater, de cuius imminenti morte loquitur, octogesimum fere annum agebat. Etiam haec ratio suadet, ut potius a. 365/4 quam a. 360 epistulam exaratam esse sumamus.

Denique non minimi est momenti familiaritatis species per totam epistulam conspicua; est enim quasi quaedam gradatio in tribus epistulis ad Dionysium datis (XIII, II, III); XIII discidii nihil novit, II iurgia incipientia nec tamen gravia tangit, III ab acerbissimis criminationibus Platonem vindicat.

Priusquam ab hacce epistula procedam, facere non possum, quin profitear mihi quidem, si ullam epistulam, hanc certe genuinam videri.* Tot res uberrime describuntur, tot homines partim aliunde noti partim ignoti commemorantur: atque haec omnia tam vivido veritatis colore praestant, ut pro fictis et commenticiis minime haberi possint.

Quam accurate imprimis Heliconis genus, institutio, mores depinguntur! Quid? Platonem Syracusis aliquando in morbum incidisse atque benigne ei prospectum esse a Dionysio eiusque uxore (pg. 361 A), nonne id scitu dignum est? vel etiam pila interdum gravissimum ceteroquin philosophum ut alios homines lusisse (pg. 363 D)? vel pecunias a tyranno liberaliter oblatas eum contulisse ad egentes propinquas adiuvandas (pg. 361 DE, pg. 363 A)? vel Platoni Syracusis Athenas reverso multos homines institisse, ut Dionysio ipsos commendaret; eumque cautionem quandam in epistulis adhibuisse, ut nosceret amicus, quibus maiorem gratiam praeberet, quibus minorem (pg. 361 B)? an denique eo offendamus, quod dona quaedam Plato tyranno misit (pg. 361 AB)?

* Nuper legi Christium in Studiis Platonicis (Mon. 1885) ep. XIII tueri; cuius librum in usum conferre nondum licuit.

Aiunt (Steinhart VIII pg. 322) sublimia scriptorem in ridicula vertere; at qui ita sentiunt, obliviscuntur non deum Platonem fuisse, sed hominem quamvis egregium.

Hanc autem ep. non publicatam, sed e scriniis insignis viri ab editore depromptam esse ex ipsa perspicitur.

Transeamus ad Ep. II. — Karstenus pg. 19 et 129 post tertium Platonis in Siciliam iter, ex quo reducem philosophum ludis Olympiis a. 360 interfuisse ex ep. VII pg. 350 B scimus, scriptam fingi censet adstipulantibus Groteo (Plato pg. 220) et Holmio II pg. 453. Ego vero cum Steinhartio t. VIII pg. 284 sq. inter alterum et tertium iter a philosopho exaratam esse existimo.

Neque enim necesse videtur de eisdem Olympiis etiam ep. II pg. 310 D cogitare, immo cum Corsino (Symb. litt. pg. 112) hic de ludis a. 364 sermonem esse statuo. Quid obstat, quominus sumamus Platonem hoc quoque anno Olympiae cum Dione eiusque amicis convenisse? Quoniam in ep. XIIIa, ut supra animadvertimus, discordiae nullum est vestigium, sed summam illa ubique spirat familiaritatem, ep. vero II iam simultatem quandam ex invidiosis sermonibus natam spectat ideoque haec illa posterior videtur, colligendum est philosophum e secundo itinere Athenas revertisse, inde postea ad visenda Olympia profectum esse.

Nec video, quid, ne ita statuamus, impediat: omnino universus rerum status suadet. Karstenus pg. 18 iure animadvertit post tertium iter non probabile esse ullum inter Platonem et Dionysium litterarum commercium intercessisse. Certe huic tempori si tribueremus ep. II, offenderet familiaritas illa, quam epistula praecipue extrema refert, qua remotis quibusdam suspicionibus, quae per calumniatores ortae erant, Plato docet, qualis et esse et servari debeat ipsorum necessitudo, porro Dionysii studium sapientiae laudat eumque ad philosophiam colendam cohortatur. Igitur ep. II (ut XIII) maxime ex eis, quae in fine legimus, Dionysio missam esse iudico: contra IIIa a. 360/59 post tertium iter scripta Atheniensibus tantum videtur destinata.*

* Cfr. infra pg. 51.

Deinde a. 360, cum Plato Olympiis interesset, Dio, Speusippus ceterique eorum socii gravissime in Dionysium invecti statim ad expeditionem et bellum parandum se accinxerunt: itaque Plato tum quidem non potuit negare (II pg. 310 D) se ista opprobria audisse: immo ipse illorum studia se percepisse nec tamen cum eis facere voluisse profitetur ep. VII pg. 350 B.

Accedit quod ei tempori, cum Dio iam de bello cogitaret, non convenit, quod amicis Platonis a Dionysio iurgia opprobrio vertuntur (pg. 310 C). Contra scimus primis postquam expulsus est annis Dionem nihil grave molitum esse — nisi quod parum benigne de Dionysio iudicasse eum et locutum esse per se probabile est —: postea demum re familiari erepta et uxore alteri data ira in tyrannum acerbissima exarsit. In annos igitur 364/3 criminationes illae (ep. II in.) a tyranno levi atque inconstanti motae multo magis quadrant.

Denique in Ep. II offendunt vv. dd. eo, quod Speusippus apud Dionysium versari dicatur (Steinhart t. VIII pg. 291. Karsten pg. 162), cum Plutarchus cap. XVII tradat primis annis post quam Plato ex secundo itinere reverterit, Dionem Speusippo Athenis familiariter usum esse. At verba Plutarchi non impediunt, quominus Speusippum inter secundum et tertium Platonis iter, quo tempore ep. II exarata est, breviorem peregrinationem in Siciliam suscepisse putemus. Quae coniectura verbis: *Σπευσίππῳ χρῆσον καὶ ἀπόπεμψον·* commendatur.

Ceterarum epistularum temporibus, quot quidem accuratius definiri queant, vix est, quod offendamur.

Ep. IV a. 355 vel 354 scripta est, cum Dio imperium Syracusarum occupatum tenebat; ep. V intra annos 365 et 360, quoniam Perdiccas III a. 365 regnum invasit, sexto autem anno post in pugna contra Illyrios cecidit; ep. VII porro et VIII anno fere 352 tribuendae sunt, quo tempore Hipparinus Syracusanorum imperio est potitus; argumentum VIIIae docet paulo posteriorem hanc esse VIIa. — Reliquae certis temporibus tribui nequeunt.

Neque vero equidem offendo, quod in ep. IX pg. 358 C Socrates quidam commemoratur tanquam senescentis Platonis aequalis. Sane si celeberrimus Platonis praeceptor significatus esset, gravissimum ac satis ridiculum mendum scriptor commisisset. Qua re Steinhartius t. VIII pg. 333 opinionem admodum singularem protulit; suspicatur enim auctorem ceteroquin non spernendum temporum perturbationem in multis illius aetatis epistulis conspicuam ludibrio habuisse.

Alii alia coniecerunt: Astius putat Socratem minorem, qui in Sophista amicus Theaeteti introducitur, hic esse intellegendum; alii ad Isocratem confugerunt: quamquam aliud nomen latere non absonum, tamen cum Socratis nomen admodum vulgare apud Graecos fuerit, non video, cur non Socrates quidam ignotus, Laodamantis quidem amicus, significatus esse possit: an vero ad unum omnes novimus Platonis aut Isocratis discipulos, qui ex universa Graecia ad illos audiendos undique confluxerunt?

3.

In VIIa epistula inde a pg. 324 Plato totius vitae suae rationem reddit; cum adolescens esset, eversam esse rem publicam et trigintavirorum dominationem institutam; de quibus se ait primo bonam spem concepisse; quin etiam a quibusdam ex eis sibi familiaribus se invitatum esse, ut rei publicae administrationi interesset; mox vero intellexisse multo peius iam se habere civitatem quam antea; cum alia facinora ab illis admissa esse tum Socratem, praeceptorem suum dilectissimum, socium scelerum sibi adsciscere eos voluisse; non multo post concidisse XXXvirorum dominationem; restituta re publica se lentius quidem, tamen etiamtum in animo habuisse rem publicam capessere;*

* Pg. 324 B verba *τῆς πόλεως* iuxta *ἐπὶ τὰ κοινά*, quae offendunt Karstenum, quoniam apud Graecos tantum *ἐπὶ τὰ κοινὰ ἰέναι* in usu fuerit, ex sequentibus *τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων* huc irrepsisse conicio.

nam reversos Athenienses, etsi nonnulla accidissent parum probanda, primo magna usos esse continentia. Deinde vero cum Socrates damnatus esset, taedio se rei publicae affectum sibi persuasisse non prius sanas fore civitates, quam principes eidem atque philosophi eas gubernarent. Hac mente in Italiam et Siciliam se esse profectum.

In his narrationibus quosdam errores epistolographi detexisse sibi videntur vv. dd. Cfr. Karstenum pg. 117 sqq.

Ac primum quidem legimus pg. 324 C: *καί μοι τύχαι τινὲς τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων τοιαίδε παρέπεσον· ὑπὸ πολλῶν γὰρ τῆς τότε πολιτείας λοιδορουμένης εἷς καὶ πεντήκοντά τινες ἄνδρες προύστησαν ἄρχοντες, ἕνδεκα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δ' ἐν Πειραιεῖ, περί τε ἀγορὰν ἑκάτεροι τούτων καὶ ὅσα ἐν τοῖς ἄστεσι διοικεῖν ἔδει, τριάκοντα δὲ πάντων ἄρχοντες κατέστησαν αὐτοκράτορες.*

Miratur Karstenus, quod omnes LI, et XXXviros et decemviros in Piraeeo et undecimviros in urbe quasi unum collegium scriptor comprehenderit: at quid, ne hoc faceret, impediebat? penes trigintaviros summum imperium fuisse probe sciebat et bis ipse adfirmat; hos proxime sequebantur reliqui illi magistratus.

Difficillimum autem est definire, quaenam munera fuerint undecimvirorum. — Karstenus persuasum habet (pg. 119) hunc magistratum eundem sub XXXviris fuisse, quem libera republica et ante et post illos, quoniam Critiae iussu Theramenem ad supplicium rapuerint (Xen. Hell II,3,54 *ὑμεῖς δὲ λαβόντες καὶ ἀπαγαγόντες οἱ ἕνδεκα οἷ δεῖ τὰ ἐκ τούτων πράττετε*). Negat aut illud collegium cum usitato munere damnatos in vincula coniciendi et suppliciis afficiendi coniungere potuisse quae eis hoc loco tribuantur officia aut duo fuisse collegia: immo conicit epistolographum legisse apud Xenophontem (II,4,38) vel Andocidem (de Myst. § 40) verba: *πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν ἐν Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα*; quibus inductum eum omnes in unum collegium confudisse et XIvirorum quidem et Xvirorum munera atque officia suo sibi arbitrio informasse.

Hermannus contra (Ant. publ. pg. 535), cui Rohrerus adsentitur, duo collegia plane diversa fuisse iudicat: neque profecto intellegi potest, quomodo scriptor, si quidem munera XIvirorum semper eadem fuissent, adduci potuerit, ut sine ulla ratione commenta fingeret, nisi forte insipiens fuit. Notiores illi *ἕνδεκα* etsi satis potentes, minores tamen magistratus erant, quos ab amnestia qu. d. exclusos fuisse non probabile, quoniam ita se munire poterant, ut affirmarent se nihil nisi imperata XXXvirorum executos (Cfr. Meier de bon. damn. pg. 188. — Scheibius Olig. Umw. pg. 68 not. contra disputat). Aiunt eos officia saepenumero transisse, attamen hoc non satis causae praebuisse videtur, cur excluderentur.

Itaque cum Hermanno faciendum existimo, magistratum, qui hic nominatur, a notissimo illo distinguente.

Quod autem verba attinet *περί τε ἀγορὰν ἑκάτεροι τούτων καὶ ὅσα ἐν τοῖς ἄστεσι διοικεῖν ἔδει*,* sunt sane haec obscuriora: num tamen inde concludi possit munera illorum non ampliora fuisse quam *τῶν ἀγορανόμων* et *τῶν ἀστυνόμων*, dubito; videntur administrationi omnium rerum urbanarum et civilium utriusque urbis praefuisse.

Neque concedo in descripta Socratis damnatione errores admisisse auctorem (Karsten pg. 121).

Homines *δυναστεύοντες* (i. e. nobiles ac potentes) sunt Anytus, Meletus, Lyco, alii earum partium. Quae porro pg. 325 C legimus: *οἱ μὲν εἰσήγαγον, οἱ δὲ ἐψηφίσαντο καὶ ἀπέκτειναν*, paulo neglegentius dicta esse censeo. Quaerit Karstenus: „At quinam, inquit, sunt, qui Socratem damnaverunt? An homines nobiles, potentes? Immo Socrates damnatus est ab Heliastis e. q. s. Num hi dici possunt *δυναστεύοντές τινες*?“ — Locus ita est interpretandus, ut *οἱ μέν* intellegantur accusatores, *οἱ δέ* Athenienses (Cfr. Rohrer in diss. a. h. l.)

---

* Haec propterea a Platone adiecta esse puto, quod huius collegii ut socius fieret invitatus esset ac ne qui legerent de vulgari magistratu cogitarent.

4.

Maxima pars epistulae VIIae versatur in describendis tribus Platonis in Siciliam itineribus atque enarrando philosophi cum Dione et Dionysio II commercio; eaedem res brevius descriptae tertia ep. continentur; denique ep. II quaedam de secundo itinere addit pg. 311 E sqq.

Omnia accuratissime depinguntur; cognoscimus permulta ex Siciliae Syracusarumque historia, multorum, imprimis Dionis et Dionysii II mores; rationes, quae inter Archytam atque Pythagoreos et principem Syracusarum intercedebant, Heraclidis fortunam, Theodotem, Eurybium, denique quae Platoni primum, iterum, tertium Syracusis versanti evenerint.

Non concedendum est Karsteno (pg. 241) pauca contineri epistulis, quae non ab aliis quoque scriptoribus relata fuerint, quae propria habeant minuta esse et pleraque commentis similia. Cfr. Steinhart. IX pg. 263 not. 30.

Immo quae apud historicos, praecipue Plutarchum, scripta legimus, etsi et alios auctores habuit, qui accuratiora hic illic quam epistulae exhiberent, tamen maximam partem ad hunc fontem redeunt

Errores historici graviores in epistularum narrationibus non insunt; concinunt omnia cum indiciis aliunde compertis; saepenumero illae veritatis specie antecellunt fabulosis deteriorum fontium commentis; atque tam vivido plerumque colore praestant, ut ea nisi a teste atque spectatore amplissima rerum cognitione instructo scribi non potuerint.

Primum iter Plato suscepit *σχεδὸν** *ἔτη τετταράκοντα γεγονώς*, anno fere 387, si quidem philosophum a. 427 natum esse statuendum est. (Cfr. Steinhart IX pg. 37 sqq. Ueberweg Unters. pg. 113 sqq.)

---

* Karstenus pg. 44 vituperat *σχεδόν*, quae vocula ei hoc quoque loco satis otiosa videtur, cum probabile sit Platonem, qua tum ipse esset aetate, probe nosse. — Probabile hoc sane est, verum Plato dicit se tum paene XL annos natum fuisse, quae optime se habent.

Merito Groteus observat (Plato pg. 263) permulta de Platonis vita operibusque quae circumferantur argumentis niti multo levioribus, quam sit hic epistulae locus.

Quibus rationibus Plato motus sit, ut patria relicta in Italiam Siciliamque proficisceretur, epistula haud clare indicat. Enarrat scriptor, quantum quae Athenis accidissent, ad suam de optima civitate sententiam formandam contulerint quaeque postea in Italia et Sicilia viderit: neque tamen verbis *ταύτην τὴν διάνοιαν ἔχων* excluditur (Karsten pg. 133) quod vulgo relatum est consilium: Platonem discendi causa in Italiam et Tarentum, post in Siciliam et Syracusas venisse; *ταύτην τὴν διάνοιαν ἔχων* nil significat nisi: „hac mente, his sententiis imbutus.“

De ceteris autem itineribus, quae a Platone suscepta esse fontes posteriores deterioresque tradunt, in epistulis nihil profertur (Cfr. Karsten pg. 150 et cap. VII); quae cum paene omnia certis suspicionibus obnoxia sint, ipsum hoc epistularum silentium fidem auctori conciliat. Nimirum, si fabulosa itinera ibi commemorata essent, clamarent certe critici: en dubiae originis indicium!

Mihi quidem unum iter Megaricum factum esse probabile est ex Hermodori verbis apud Diogenem l. III § 6 certam temporis significationem continentibus: *ἔπειτα γενόμενος ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἐτῶν, καθ' ἅ φησιν Ἑρμόδωρος, εἰς Μέγαρα πρὸς Εὐκλείδην σὺν ἄλλοις τισὶ Σωκρατικοῖς ἀπεχώρησεν* et l. II § 106: *πρὸς τοῦτόν* (scil. *Εὐκλείδην*) *φησιν ὁ Ἑρμόδωρος ἀφικέσθαι Πλάτωνα καὶ τοὺς λοιποὺς φιλοσόφους μετὰ τὴν Σωκράτους τελευτὴν* [*δείσαντας τὴν ὠμότητα τῶν τυράννων*], nisi quod postrema haec verba, quae uncis inclusi, Diogenis inscitiae sunt tribuenda.*

Descriptio luxuriae per Italiam et Siciliam grassantis propter vividum colorem ab oculato teste profecta esse

---

* An fortasse quod Plato Dionem personatum Ep. VII pg. 329 A praeter ceteras urbes maritimas Athenis vicinas Megara potissimum commemorantem facit, indicium quoddam illius itineris refert? *Καὶ Μεγαροῖ μὲν εἰ κατοικοῦντες ἐτυγχάνομεν, ἦλθες δή που ἄν μοι βοηθὸς κτλ.*

videtur (ep. VII pg. 326 B C D). Cfr. de Legg. I pg. 637 E, quo loco Megillus dicit se olim Tarenti Dionysiis omnes urbis incolas ebrios vidisse.

Pg. 326 D Plato pergit: *ταῦτα δὴ πρὸς τοῖς πρόσθε διανοούμενος εἰς Συρακούσας διεπορεύθην, ἴσως μὲν κατὰ τύχην, ἔοικε μὴν τότε μηχανωμένῳ τινὶ τῶν κρειττόνων ἀρχὴν βαλέσθαι τῶν νῦν γεγονότων πραγμάτων περὶ Δίωνα καὶ τῶν περὶ Συρακούσας.* De quo loco Karstenus pg. 133 haec disserit: „ergo ut modo in Italiam, ita nunc in Siciliam abiit temere, nullo consilio.“ Consilium philosophi fuit sine dubio exteras terras, praeclaras urbes, regiones visu dignas cognoscere, denique Pythagoreorum adire scholas; hoc loco dicit, quod tum Syracusas venerit et cum Dione amicitiam iunxerit, videri quidem casu fortuito effectum, qui tamen penitus rerum cursum perspiciat, ei divini numinis moderamen adparere.

Utrum a Pythagoreis Dioni commendatus an a Dionysio I sive sponte sive rursus Dione auctore invitatus sit, incertum. Accuratiora de huius commorationis Syracusanae initiis aut spatio dici non possunt.

De commercio, quod cum Dionysio I habuisse fertur, fabulae quaedam traduntur. Neque maiorem probabilitatis speciem referunt quae de expulso, vendito, redempto philosopho audimus: haec omnia ficta videntur; si non essent, epistula, opinor, ubi tertii itineris pericula commemorantur, illuc respexisset.

Itaque cum Syracusis primum versaretur, amicitiam iunxit cum Dione adulescente tum viginti fere annorum (ep. VII pg. 324 A), summis ingenii animique facultatibus praedito. Is Platonis praeceptis ac disciplina imbutus ad severiorem vitae normam mores correxit, quam ob rem *ἐπαχθέστερον τοῖς περὶ τὰ τυραννικὰ νόμιμα ζῶσιν ἐβίω μεχρὶ τοῦ θανάτου τοῦ περὶ Διονύσιον γενομένου.**

* Parum simplici obitus Dionysii significatione Plato indicare videtur illum fortasse vi non plane caruisse. Cfr. Timaei narrationem in Plutarchi vita Dionis cap. VI.

Non est in his verbis repugnantia, ut arbitratur Karstenus pg. 135: *οἱ περὶ τὰ τυραννικὰ ζῶντες* sunt aulici: Dionysii enim ipsius gratiam Dio nunquam amisit.

Pergit scriptor ad alterum iter non multo post Dionysii maioris mortem susceptum.

Dio enim cum ipse expertus esset, quantum Plato valeret ad adulescentium animos corrigendos et amore virtutis, artium, scientiae imbuendos, Dionysio persuasit, ut philosophum Athenis arcesseret eiusque uteretur institutione. Platoni autem scripsit, ut utique veniret; insignem enim iam offerri occasionem rei publicae philosophia adiutrice quam optime constituendae. Obtemperavit ille (ep. VII pg. 329 A, II 311 E, III 316 C) et magna pompa Syracusis exceptus est (Plut. cap. XIII).

Ac primo Dionysius admiratione Platonis et amore philosophiae captus est; geometricis praecipue studiis operam navarunt. Cfr. Plut. ibid. et Ep. III pg. 319 C.

Mox vero aulicorum, imprimis Philisti nuper ex exilio revocati eiusque asseclarum criminationes tyranni animum averterunt.

Merito Groteus iudicat haud satis scite Dionem et Platonem brevi, qua tum floruerint, auctoritate usos esse; primaria enim consilia liberandae a barbaris Siciliae et reipublicae in meliorem formam redigendae distulisse ac prius tyranni animum doctrina excolere voluisse videntur.

Dion igitur invidia obrutus proditionis a Dionysio insimulatus et clam patria eiectus est.* Quo remoto primo in metu versabantur Plato et illius amici; varii oriebantur rumores; mox Dionysius Platonem invitavit, ut in arce habitaret; benigne etiam erga eum se gessit ac philosophiae se dedere velle simulavit; neque tamen constans fuit calumniatorum sermones veritus (ep. VII pg. 329 C — 330 B).

---

* Quod vero fontes historici Dionem non sine culpa fuisse perhibent, epistulae contra omnem culpam in Dionysium transferunt, neque spuriae originis est indicium neque Platoni exprobrandum: probabile enim est eum optimam de amico opinionem habuisse.

Postremo cum nihil eorum, quae cupiebat, efficeret, Plato, ut dimitteretur, petiit; erat tum bellum in Sicilia; itaque inter eos convenit, ut tum quidem ille abiret, composito vero bello una cum Dione reverteretur.

Hoc secundum iter annis 366/365 accidisse videtur; a. 364 Platonem iam in Graeciam reducem fuisse supra ex ep. II evicimus.

Priusquam Syracusis abiret, eius ope hospitium atque amicitia iuncta est inter Archytam eiusque familiares Tarentinos et Dionysium (cfr. ep. VII pg. 338 C).*

Pace igitur in Sicilia facta Dionysius Platonem rursus invitavit, Dionem autem annum in Graecia remanere iussit (ep. VII pg. 338 B). Dio haesitantem philosophum instigat, ut tyranni animum ipsi reconciliare conetur; atque multus erat rumor Dionysium denuo philosophiae amore esse inflammatum.

Plato huius rei causam fuisse suspicatur, quod Archytas aliique Pythagorei Dionysium Syracusis visissent; cum quibus Dionysium de philosophia Platonica collocutum inscitiae suae conscium sibi factum esse. Ea autem res in levi atque inconstanti tyranni ingenio non improbabilis.

Misit igitur Archedemum, Platoni amicissimum, discipulum Archytae aliosque illius amicos cum triremi Athenas, qui Platoni epistulam et promissa transferrent. Etiam Archytas Tarentinique per litteras eum imploraverunt, ut Syracusas denuo veniret; amicitiam enim Dionysii conservare quam maxime sua interesse *πρὸς τὰ πολιτικά*.** (ep. VII pg. 339 C D, III pg. 317 B).

Tandem ille amicorum gratia tyranno morem gessit; sperabat etiam verum fore rumorem de novis Dionysii studiis; qua tamen spe, postquam Syracusas advenit, deiectus est; cum enim Dionysii animum colloquiis temptaret, repperit

---

* Neque tamen (Karsten pg. 138) epistulae verbis efficitur Platonem tum primum Archytam cognovisse.

** Haec de Archyta et Tarentinis prodita maximam veritatis speciem referunt.

arbitrari eum iam longe se provectum esse in philosophia, quod certissimum discrimen habet veri et falsi philosophiae studii.

Quin postea quae ex sapienti amico audivisset, scriptis tyrannus mandavit; id vero iure ab illo vituperatur pg. 341B sqq.: Platoni enim seni cum valde displicerent libri de summis rerum principiis temere conscripti atque editi,* tum ipsius doctrinam perperam ab alio describi merito poterat moleste ferre.**

Neque quod speraverat effecit, ut Dionem reconciliaret cum Dionysio; hic promissis non stetit, immo reditus praediorum satis magnos Dioni iam non misit; mox nova proposuit, quae Plato accipere non posset; ille vero cum nihil efficeret, postremo domum abire voluit; attamen hieme appropinquante navigandi iam non fuit copia. Habitabat in horto prope arcem (pg. 347 A); neque multa usus est cum Dionysio familiaritate, cum necessitudo inter eos in dies magis refrigesceret, quam rem testatur illud colloquium, quod ep. III pg. 319 enarratum est, viginti diebus antequam discessit, habitum.

Denique vinculum amicitiae plane ruptum est, cum tumultu mercenariorum orto*** Heraclides, quod auctor eius habebatur, fugisset † atque Theodotus et Eurybius cum Platone pro illo tyrannum implorassent; qui a philosopho promissi admonitus cum ira repondit.

Mox eum ex arce discedere et in urbe apud Archedemum habitare iussit, cum diceret mulieres in horto sollemnia quaedam decem dierum celebraturas esse. Exprobravit ei etiam per nuntium, quod Theodotum et Heraclidem pluris aestimaret quam semet ipsum.

---

* Quae Plato in ep. de scribendo et disputando exponit, e Phaedri dialogi sententiis enata sunt.

** Qui cum sit conexus, verba pg. 341 D *καὶ τοσόνδε γε οἶδα ὅτι γραφέντα ἢ λεχθέντα ὑπ᾽ ἐμοῦ βέλτιστ᾽ ἂν λεχθείη·* vix quidquam superbiae habent.

*** Cuius imago oculis quasi percipienda praebetur pg. 348 A B.

† De Heraclide hic aliqua comperimus, quae alibi non traduntur.

Plato igitur in urbe habitabat inter mercenarios periculis cinctus; delatum enim est ei ab amicis, praecipue nautis quibusdam Atheniensibus,* peltastas, qui criminationibus falsis incensi essent, in animo habere eum interficere.

Itaque nuntium misit ad Archytam et amicos Tarentinos petens, ut se ex summo discrimine liberarent. *Οἱ δὲ πρόφασίν τινα πρεσβείας πορισάμενοι παρὰ τῆς πόλεως πέμπουσι τριακόντορόν τε καὶ Λάμισκον αὐτῶν ἕνα, ὃς ἐλθὼν ἐδεῖτο Διονυσίου περὶ ἐμοῦ λέγων, ὅτι βουλοίμην ἀπιέναι καὶ μηδαμῶς ἄλλως ποιεῖν· ὁ δὲ ξυνωμολόγησε καὶ ἀπέπεμψεν ἐφόδια δούς* (pg. 350 AB).**

Hic igitur fuit finis commercii cum Dionysio: Plato inde Olympiam venit (a. 360), ubi Dio eum cohortatus est, ut expeditionem, quam ipse in Siciliam moliturus esset, auctoritate et consilio adiuvaret. Hoc quidem recusavit, quoniam Dionysius nihil gravius in se molitus esset.

Quicumque extremam hanc epistulae partem accuratius legerit, me iudice fatebitur tam accuratam et rebus nominibusque refertam esse narrationem, ut ficticia esse nequeat, immo testis sit, qui ipse omnibus rebus interfuerit.

Quae cum ita sint, minime probo Karsteni iudicium, quod perlustrata epistula pg. 144 fert: nihil fere in ea legi, quod non plenius et accuratius ab aliis scriptoribus proditum sit; quae ad itinera eorumque tempora pertineant, pleraque recte auctorem rettulisse, in rebus autem Dionysium et Dionem spectantibus minus esse diligentem; nonnulla quae ad rem pertineant, omisisse, alia augendo minuendove immutasse idque ductum odio et gratia: totam enim epistulam aperte scriptam esse ad vituperandum Dionysium, laudandum Dionem, maxime vero ad extollendum Platonem.

---

* Hinc Holmius H. S. II pg. 375 concludit epistolographo res Syracusanas probe notas fuisse; mihi indicium videtur Platonem ipsum esse auctorem epistulae.

** Karstenus pg. 142 improbabile esse dicit quae hoc loco narrantur omnia intra viginti dierum spatium transigi potuisse: attamen Tarentum non tantum Syracusis aberat, quin paucis diebus navis eo devenire et amici Syracusas possent transvehi.

Epistulam sane scripsit Plato sui et Dionis defendendorum causa; itaque quod in Dionysium maxima omnium calamitatum culpa transfertur, non mirum; sunt tamen etiam loci, quibus laudet in tyranno bonam quandam indolem et humanitatem (pg. 338 D. 340 A. 350 C),* est etiam, ubi Dionem eiusque socios quodammodo vituperet (pg. 350 C); quin sibi ipse quaedam exprobrat pg. 327 A, pg. 345 D.

5.

Ep. VIII pg. 354 B Lycurgus non modo senatum Lacedaemoniorum, sed etiam ephoros instituisse dicitur: contra Legg. III pg. 691 E institutio regum, senatus, ephororum tribus diversis auctoribus laudi vertitur (Cfr. Salomon pg. 20 sq. Karsten pg. 160).

Hic locus admodum obscurus vix potest ita cum Astio intellegi, ut *ὁ τρίτος σωτήρ* item Lycurgus sit (Cfr. Mueller VII,2 pg. 464), immo concedendum est Platonem hic vetere traditione (Herod. I,65) relicta Theopompum, non Lycurgum auctorem magistratus ephororum habuisse.

Putant vv. dd. epistolographum hunc locum perperam et intellexisse et expressisse: mihi contra utrumque consideranti nihil aliud effici videtur nisi Platonem epistulam VIII (a. 352) ante tertium librum illius operis composuisse. Est haec res ea, de qua idem auctor haud magno temporis spatio interiecto diversa statuere potuerit. Atque priorem esse epistulae locum vel inde colligitur, quod hic vetustiorem sequitur traditionem, alter contra recentiorem, quam inde a Platone plerique scriptores sunt amplexi. Qui in libro III de Legg. extat locus multo accuratior est et eo tempore scriptus, quo philosophus reipublicae Lacedaemoniorum historiae multum operae navabat.

Legum testimonium si expressisset, epistolographus satis scite rem egisset: conglutinasset scilicet quae leguntur

---

* Repugnantiam in descripto Dionysii ingenio (Karsten pg. 145) non video.

pg. 690 DE et pg. 691 E sq.; porro pro *τὴν τῶν Ἑλλήνων δύναμιν*, quae verba alteri loco soli apta sunt, prudenter posuisset *ἑαυτούς τε καὶ τὴν πόλιν ἑκατέρους ἑκατέραν*; praeterea addidisset *καὶ γένους* post *δείσας περὶ τῆς αὑτοῦ πόλεως*, quae illic non extant.

Idem iudico de eis, quae Ep. VII pg. 332 de Darei regno et de Athenarum dominatione dicuntur (Karsten pg. 158 sqq.). Cfr. locum pg. 332 A *Δαρείου — τὴν Περσῶν ἀρχήν* cum loco de Legg. III pg. 695 C. Neque inter se contraria sunt verba *ὧν καὶ νῦν ἔτι σμικρὰ ὀνείρατα λέλειπται*, quae ad descriptionem regni Persarum pertinent, et verba *ἔτι καὶ νῦν διασέσωκε τὴν Περσῶν ἀρχήν*. Athenienses autem quod LXX annos sociis clementer tractatis imperium retinuissent, laudare licuit philosopho, quamquam alias de republica Atheniensium, qualis tum erat, et in prioribus scriptis et in libris de Legg. pg. 701 AB parum benigne iudicat

6.

Restat, ut quae de Siciliae Syracusarumque historia in epistulis narrantur, paucis examinemus.

In universum scriptorem bene instructum fuisse docent loci ipsi et historicorum comparatio. Pauca sunt, in quibus falsa eum tradidisse arguunt recentiores (Karsten pg. 154—158).

Ep. VIII pg. 353 AB narratur, quomodo (a. 406) Dionysius maior adiutore Hipparino principatum obtinuerit: *νῦν ὑμῖν καὶ τοῖς πολεμίοις σχεδὸν ἐξ οὗπερ γέγονεν ὁ πόλεμος, συγγένεια ἄρχει μία διὰ τέλους, ἥν ποτε κατέστησαν οἱ πατέρες ὑμῶν εἰς ἀπορίαν ἐλθόντες τὴν ἅπασαν, τοθ' ὅτε κίνδυνος ἐγένετο ἔσχατος Σικελίᾳ τῇ τῶν Ἑλλήνων ὑπὸ Καρχηδονίων ἀνάστατον ὅλην ἐκβαρβαρωθεῖσαν γενέσθαι· τότε γὰρ εἵλοντο Διονύσιον μὲν ὡς νέον καὶ πολεμικὸν ἐπὶ τὰς τοῦ πολέμου πρεπούσας αὐτῷ πράξεις, σύμβουλον δὲ καὶ πρεσβύτερον Ἱππαρῖνον, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς Σικελίας αὐτοκράτορας, ὥς φασι, τυράννους ἐπονομάζοντες.* Diodorus vero l. XIII cap. 92 dicit: *ὁ δῆμος παραυτίκα τοὺς μὲν ἔλυσε τῆς ἀρχῆς, ἑτέρους δὲ εἵλετο στρατηγούς, ἐν οἷς καὶ Διονύσιον.*

Pergit eum primo cum collegis creatum postea his criminationibus magistratu deiectis sibi soli acquisivisse imperium.

Probabile est hunc scriptorem veriora tradere neque statim publice tyrannos appellatos esse Dionysium et Hipparinum; attamen Plato ipso additamento *ὥς φασιν* indicat verba non esse premenda; et fieri potuit, ut duo illi cum collegis praetores publice nominarentur, vulgus tamen tyrannorum uteretur appellatione.

Hoc sane concedendum est locum, qui ep. VIII pg. 354D legitur, cum Diodori narratione parum videri concinere; Plato ibi Syracusanos commonet, ne nimiae libertati studeant, *μή ποτε ἀπληστίᾳ ἐλευθερίας ἀκαίρου τινὸς εἰς τὸ τῶν προγόνων νόσημα ἐμπέσωσιν, ὃ διὰ τὴν ἄγαν ἀναρχίαν οἱ τότε ἔπαθον, ἀμέτρῳ ἐλευθερίας χρώμενοι ἔρωτι· οἱ γὰρ πρὸ Διονυσίου καὶ Ἱππαρίνου ἄρξαντες Σικελιῶται τότε ὡς ᾤοντο εὐδαιμόνως ἔζων τρυφῶντές τε καὶ ἅμα ἀρχόντων ἄρχοντες· οἳ καὶ τοὺς δέκα στρατηγοὺς κατέλευσαν βάλλοντες τοὺς πρὸ Διονυσίου κατὰ νόμον οὐδένα κρίναντες, ἵνα δὴ δουλεύοιεν μηδενὶ μήτε σὺν δίκῃ μήτε νόμῳ δεσπότῃ, ἐλεύθεροι δ' εἶεν πάντῃ πάντως· ὅθεν αἱ τυραννίδες ἐγένοντο αὐτοῖς.* Haec si idem factum, quod supra tetigit scriptor, spectant, Diodoro certe maior fides habenda est, qui tradit ducibus Syracusanis munus abrogatum esse, postea Dionysium praecipuos adversarios, Daphnaeum et Demarchum, per vim de medio sustulisse.

Itaque Groteus putat Platonis tum senis memoriam lapsum admisisse, cum iudicium Syracusanorum confunderet cum facinore Agrigentinorum, qui paulo ante quattuor suos duces lapidibus obruisse perhibentur.

Potest excusatio comprobari: tamen quo magis hunc epistulae locum considero — in quo notandum, quod *Σικελιῶται* dicit scriptor, non *Συρακόσιοι* — eo magis ad eam opinionem adducor, ut putem alios eosque paulo priores Siciliae tumultus hic spectari, quia libidinis ac nimiae libertatis studio (*τρυφῶντες, ἵνα δὴ δουλεύοιεν μηδενὶ κτλ.*) animi Siculorum concitati esse dicuntur.

Utut est, hoc certum mihi videtur, etiamsi narrationem Diodori Platonicae praeferamus, hanc non esse causam, cur

epistulam a Platone abiudicemus; poterat memoria eius in enarrandis rebus, quae plus L annis ante acciderant, de quibus praeterea scripti commentarii fortasse non in promptu erant, facillime errare.

Quod porro Hipparini de liberanda Sicilia merita admodum auxit pg. 353 B* et 355 E, cum Aristoteles Polit. V,56 acerbum de eodem ferat iudicium, animadvertendum consilio conciliandi scriptam esse ep. VIII et amicum Dionis hic loqui.

Contra plurima sunt, quae auctorem res, de quibus agebat, optime nosse comprobent, velut descriptio imperii Dionysii I pg. 331 E, 332 A C, 333 A;** vel obitus Dionis pg. 333D – 334C (cfr. ipsum Karstenum pg. 144); porro qualis esset a. 352 status Syracusarum totiusque Siciliae, probe sciebat ep. VII pg. 336 CDE, VIII pg. 352 C 353 CDE 357AB.

Consilia ad civitatem pertinentia, quae Syracusanis ep. VII et VIII dantur, partim etiam ep. III tanguntur, Groteo iure non tam spernenda aut ridicula videntur,*** quam Karsteno (pg. 147 sqq.) aliisve. Cfr. VII pg. 337 A—E, VIII 355 A – 356 E, III pg. 315 D 316 B 319 CD.

Primo loco suadet, ut victrices partes victas et metu et verecundia (*φόβῳ* et *αἰδοῖ*) contineant, deinde optimos

---

* Dictio *καὶ εἴτε δὴ θείαν τις ἡγεῖσθαι βούλεται τύχην καὶ θεὸν εἴτε τὴν τῶν ἀρχόντων ἀρετὴν εἴτε καὶ τὸ ξυναμφότερον μετὰ τῶν τότε πολιτῶν τῆς σωτηρίας αἰτίαν ξυμβῆναι γενομένην, ἔστω ταύτῃ, ὅπῃ τις ὑπολαμβάνει, σωτηρία δ' οὖν οὕτω ξυνέβη τοῖς τότε γενομένοις·* non sine ratione tam multiplex et tortuosa videtur.

** Observat Groteus t. VI pg. 36 not. 86 ipsis rebus confirmari memorabilem Platonis vocem: *Διονύσιος φόρον ἐτάξατο φέρειν τοῖς βαρβάροις.*

*** Etiamsi parum apta essent, inde non sequeretur epistulas genuinas non esse, sed nihil nisi Platonem doctrina magis praestitisse, quam rerum usu atque experientia; id quod in aliis etiam summis philosophis animadvertas.

cives partim e sua urbe partim aliunde arcessitos* invitent ad iustas leges condendas, conditis legibus omnes obtemperent. Civitate autem constituta ex Sicilia et tota Peloponneso atque etiam Athenis colonos arcessant, qui insulam e barbarorum manibus eripiant, ereptam agris colendis, urbibus restituendis pristino flore exornent.

Ep. VIII statum civitatis Syracusanae paulo posteriorem spectare videtur: consilia tractandae reipublicae pridem data (cfr. pg. 354 A *παλαιὰν ἐμὴν ξυμβουλήν* pg. 356 C *ὃς εἴρηται μὲν καὶ πρότερον ὑμῖν· — ὥσπερ καὶ πρότερον ἐῤῥήθη*) magis enucleate exponuntur: suadet scriptor, ut tripartitum regnum instituant, Lacedaemoniorum regno simile, Dionis filii, Hipparini, Dionysii denique per legatos reconciliandi. Deinde leges ferendas esse et eam civitatem constituendam, ut quaedam munera et honores sint regum, maxima vero auctoritas penes XXXVII legum custodes (*νομοφύλακες*), qui cum populo et senatu de bello et pace decernant atque praecipuas causas una cum electis ex annuis magistratibus diiudicent (Cfr. de Legg. l. IX cap. II).

Plato personatum atque quasi ex inferis excitum Dionem pergentem facit pg. 355A se hanc civitatis formam constituere in animo habuisse et propositum peracturum fuisse, nisi occisus esset.

---

* Pg. 337 B mendum latere videtur; vocabula *πυνθάνεσθαι* et paulo infra *μεταπέμπεσθαι* comprobant hic etiam de exterarum urbium civibus sermonem esse; conicio voculis *τε — τε* interpositis scribendum esse: *τοὺς δὴ κρατήσαντας ἀεὶ χρή, ὅτανπερ ἐπιθυμήσωσι σωτηρίας, αὐτούς τ᾽ ἐν αὐτοῖς ἄνδρας προκρῖναι τῶν τε ἄλλων, οὓς ἂν πυνθάνωνται κτλ.* Tali emendatione removetur etiam dubitatio Karsteni pg. 146, quod L legumlatores Plato iubeat eligi, quem nimium esse numerum, cum Polit. pg. 293 A aliisque locis ars civitatis constituendae unius vel paucorum esse dicatur. Neque enim hic agitur de perfecta legumlatoris imagine, sed consilia dantur in re publica Syracusanorum efficienda.

** Pg. 356 D scribendum: *δικαστήρια δὲ ἄλλα μὲν ἄλλων, θανάτου δὲ (καὶ δεσμοῦ) καὶ φυγῆς κτλ.* Verba *καὶ δεσμοῦ* addenda esse elucet ex pg. 356 E et 357 A.

Summa eorum, quae disputata sunt, huc redit: dubitationes historicas satis validas non esse, quibus epistulis auctoritas detrahatur; immo scriptorem haud spernenda doctrina atque eruditione fuisse; pauca, quibus quis offendatur, ferri posse.

III.

Quas praeterea vv. dd. moverunt dubitationes contra epistulas, hae fere sunt: primum arbitrantur totum hoc litterarum genus Alexandrinorum demum temporibus effloruisse; antea scriptores quae ipsis evenissent commentariis, carminibus epicis aliisve eiusmodi scriptis intexuisse (Steinhart t. VIII pg. 281); quamobrem epistulas Platonis, Isocratis, Demosthenis, aliorum iure in suspicionem vocari. Deinde consilium defendendi ubique elucere; criminationes, quae a malevolis hominibus motae sint adversus Platonis commercium cum excellentibus exterarum civitatum hominibus, adversus irrita itinera in Magnam Graeciam et Siciliam facta, maxime adversus tertium iter, alia multa hic refutari atque aperte materiam his scriptis componendis praebuisse; cogitari non posse ipsum Platonem ad tales impetus redarguendos se accinxisse; praeterea refutationes in epistulis saepe futiles esse ac Platone indignas. Porro multa ex narrationibus non concinere cum moribus philosophi clarissimi atque integerrimi; eam imaginem philosophiae, docendi rationis, disciplinae denique ac scholae adumbrari, quae cum genuinorum scriptorum doctrina parum congruat; immo placita eius et sententias Pythagoricis commentis deformari. Compositionem, stilum, orationem epistularum eiusmodi esse, ut levem imitatorem facile agnoscas; hunc auctorem longe abesse a puro illo Attico dicendi genere, quo in aliis Platonis scriptis mirum in modum delectemur; plurima anacolutha, nimium numerum figurarum omnis generis, alia orationis vitia tam crebro inveniri, ut manus rhetoris serioris aevi vel primo oculorum obtutu deprehendatur: omnino stilo epp. non magis praestare quam sententiis atque ingenio.

Denique multos locos aliorum operum Platonicorum ab auctore imitando expressos esse atque ita quidem, ut haud raro perperam intellecti sint vel enuntiati.

Ac primum saeculo IV a. Chr. n., quoniam tum temporis frequens per litteras commercium inter homines excellentes erat, facile potuit fieri, ut epistulae sive Atheniensibus sive solis amicis destinarentur, quae non tam exempla essent exercitationum scholasticarum, ut posterioribus temporibus, quam libellorum certa quaedam consilia sequentium, maxime ea, ut consuetudines scriptorum cum excellentibus hominibus initae ab invidia et obtrectatione vindicarentur. Qua in re etiam hoc notandum, quod qui epistulas Platonicas a falsariis saec. III. a. Chr. n. confectas esse putant, illud ipsum concedere coguntur: quid? num illi falsarii sperare poterant se sua viris doctis Graecis comprobaturos esse, si hoc litterarum genus a Platonis aetate abhorreret?

Quacum dubitatione cohaeret altera: dicunt epistulas Platonicas, quae quidem extent, ad unam omnes* defendendi quoddam prae se ferre consilium. Sane praecipuas earum scriptas esse ad vitam et mores philosophi a criminationibus purganda haud quisquam negaverit; verum tamen vix erit, quod ideo eas non genuinas esse iudicemus. Platonem per vitam varia obtrectatione atque invidia petitum esse, imprimis commercium eius cum Dione atque itinera ad Dionysium minorem ansam dedisse ad spargendos multos eosque malevolos sermones et obtrectationes maxime est consentaneum et testantur multis locis epistulae ipsae, cum praesertim Athenas inter et Syracusas frequens tum esset commercium atque una cum Platone alii etiam homines celeberrimi Syracusis essent versati. Philosophum vero non curasse, quae Athenienses ceterique Graeci de ipso cogitarent et loquerentur, equidem mihi persuadere non possum: cuicumque sane illud certum est, ei inutile videbitur hanc retractare quaestionem.

* Quamquam in XIIIa quidem nihil eiusmodi invenio.

Reputemus nobiscum quae in illorum annorum decursu evenerint: praeclarissimus vir doctus atque philosophus splendissimo apparatu a potentissimo eius aetatis principe arcessitur, quem instituat et in legibus recognoscendis, in civitate melius constituenda adiuvet; familiarius etiam Dione utitur, praestantissimo tyranni adiutore; mox hicce patria expellitur, paulo autem post philosophus re fere infecta in patriam redit; paucos post annos iterum ille trans mare proficiscitur, ut Dionysii animum reconciliet Dioni; iterum non magis ei contingit, ut consilia rata faciat. Postea Dion adversarium Syracusis felici conatu expellit, sed tantum abest, ut promissam liberiorem civitatis formam civibus condonet, ut contra ipse tyrannidem retineat atque etiam Heraclidem adversarium occidat. Deinde a duobus Atheniensibus, Callippo eiusque fratre, quorum ille olim cum academiae sodalibus commercium quoddam exercuerat,* foede interficitur; quo facto Callippus dominationem occupat et alia mox tyrannide ex alia oriente funestissimi Syracusis anni sequuntur: nonne par est haec omnia Platonis animum gravissime percussisse? cum ipse, quem Dionis vel etiam Callippi praeceptorem fuisse dicerent, quasi auctor omnium calamitatum videretur atque vocibus inimicorum carperetur? an non intererat eius, ut suam principum Syracusanorum consuetudinem defenderet ac purgaret; ut demonstraret Dionis consilia optima et patriae salutaria fuisse; si quidem e sua Dionisque sententia omnia facta essent, futurum fuisse, ut Syracusis liberior meliorque civitatis forma, toti Siciliae salus expulsis barbaris donaretur; neminem igitur nisi malignum sibi aut suis omnem miseriam, quae ingruerat, imputare posse?

Nonne optime hoc ita consequi potuit, ut epistulis ad Dionysium, Dionem, familiares Dionis datis omnia illustraret?

---

* Quamquam Plato ep. VII pg. 333D—334C vehementissime negat istum hominem vere Academicum fuisse.

Dum vixit Plato, crimina ista multa erant et acerrima et quae ad refutandum incitarent: num etiam saeculo praeterlapso?

Karstenus (pg. 226–240), qui calumniatores et obtrectatores Platonis fuerint, demonstrare studet, sed ita, ut disputatio parum sufficere videatur. Ac primum quidem criminationes colligit, quae in epistulis reperiuntur, paucissimis (pg. 231) locis ex posterioribus scriptoribus adiectis; deinde ut Platonis irrisores comoediarum poetas adfert, qua in re mirum, quod quaecumque citari queunt, non itinera Platonis aut Syracusanas res attingunt, immo alia quaedam eaque vilissima; denique exponit disciplinas philosophorum et rerum scriptores, velut Philistum — qui tamen ante tertium quidem Platonis iter diem obiit — et Theopompum, parum benignum de Platone tulisse iudicium.

His vero minime demonstratur centum annis post Platonis mortem omnia ista crimina, quae pleraque res maxime peculiares spectant, vel in scriptis illorum generum vel in ore hominum tam vehementia ac gravia fuisse, ut aliquem ad componendas tales defensiones permoverent.

Ad quantas argutias delabitur Karstenus: velut pg. 238 conicit Philistum, tyrannidis et tyrannorum defensorem, Platonem eorum, quae hic ipse suaserat, dissuasorem finxisse eamque fuisse materiam scribendae, quae tertia epistula continetur, defensionis!

Potiores locos ut afferam, cfr. ep. II pg. 310 C *καὶ ταῦτα λέγω, ὡς οὐχ ὑγιές τι Κρατιστόλου καὶ Πολυξένου πρὸς σὲ εἰρηκότων, ὧν φασι λέγειν τὸν ἕτερον, ὅτι ἀκούοι Ὀλυμπίασι πολλῶν τινων τῶν μετ᾽ ἐμοῦ σε κακηγορούντων.* II pg. 312 C *ἐγὼ δὲ σὲ τιμῶν μὴ τιμῶντα πλοῦτον δόξω θαυμάζειν, τοῦτο δ᾽ ἴσμεν, ὅτι παρὰ πᾶσιν ὄνομα οὐ καλὸν ἔχει.* II pg. 314 D dicit Lycophronem aliosque sodales Dionysio in disputationibus non lubentes,* sed invitos succumbere. Ep. III pg. 315 D Plato se purgat a criminatione Dionysii, qui evulgaverit ipsum sua consilia dissuasisse *τάς τε Ἑλληνίδας πόλεις ἐν Σικελίᾳ οἰκίζειν καὶ*

* Unde elucet tales cavillationes sparsas esse.

Συρακοσίους ἐπικουφίσαι τὴν ἀρχὴν ἀντὶ τυραννίδος εἰς βασιλείαν μεταστήσαντα — — —, *νῦν δὲ Δίωνα διδάσκοιμι δρᾶν αὐτὰ ταῦτα καὶ τοῖς διανοήμασι τοῖς σοῖς τὴν σὴν ἀρχὴν ἀφαιρούμεθά σε.* In sequentibus haec nota: *ᾄδην γὰρ ὑπὸ Φιλιστίδου καὶ ἄλλων πολλῶν πρὸς τοὺς μισθοφόρους καὶ εἰς τὸ Συρακοσίων πλῆθος διεβλήθην διὰ τὸ μένειν ἐν ἀκροπόλει, τοὺς δ' ἔξωθεν, εἴ τι γένοιτο ἁμάρτημα, πᾶν εἰς ἐμὲ τρέπειν, σὲ φάσκοντας πάντα ἐμοὶ πείθεσθαι.* Pg. 318 DE dicit se iure Dionem Dionysio praetulisse; quod nisi fecerit, futurum fuisse, ut homines ipsum avaritiae insimularent.

Ep. V pg. 322 A sqq. Plato exponit, cur a republica administranda abstinuerit.

Ep. VII continetur defensio totius philosophi vitae. Pg. 326 B sqq. quod describit, quantopere ipse abhorreat ab Italorum et Siculorum victu, non sine eiusmodi defendendi ratione factum nec non pg. 326 E et 327 A spectasse videtur eos, qui calamitatum Siciliae eum dicerent fuisse auctorem. Pg. 328 C: *ἀπῆρα οἴκοθεν, οὐχ ᾗ τινες ἐδόξαζον, ἀλλ' αἰσχυνόμενος ἐμαυτὸν τὸ μέγιστον, μὴ δόξαιμί ποτε ἐμαυτῷ παντάπασι λόγοις μόνον ἀτεχνῶς εἶναι τίς, ἔργῳ δὲ οὐδενὸς ἄν ποτε ἑκὼν ἀνθάψασθαι.* Pg 330 BC: *ὧν δὲ ἕνεκα καὶ ὅσα ἔπραξα, ὡς εἰκότα τε καὶ δίκαια* — — — — *ὕστερον διέξειμι, τῶν ἐπανερωτώντων ἕνεκα, τί δὴ βουλόμενος ἦλθον τὸ δεύτερον* (scil. ad Dionysium II). Pg. 333 A: *ταῦτα ἦν τὰ λεγόμενα καὶ παρακελευόμενα ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐπιβουλευόντων Διονυσίῳ, ὡς πολλαχόθεν ἐχώρουν οἱ τοιοῦτοι λόγοι.*

Pg. 333 D—334 C disserit Callippi facinus minime opprobrio dandum esse Atheniensibus; immo probissimum Dionis amicum — nimirum se ipsum intellegi vult — fuisse Atheniensem; cfr. etiam pg. 336 B. Pg. 339 E: *δεῖν οὖν αὐτὸ ἐξελέγξαι σαφῶς* (scil. *τὴν Διονυσίου διάνοιαν*), *ὁποτέρως ποτὲ ἄρα σχοίη, καὶ τοῦτ' αὐτὸ μηδαμῇ προδοῦναι μηδὲ ἐμὲ τὸν αἴτιον γενέσθαι τηλικούτου ἀληθῶς ὀνείδους, εἴπερ ὄντως εἴη τῳ ταῦτα λελεγμένα κτλ.* Denique pg. 351 E sq.: *ὧν δ' ἐπανέλαβον ἕνεκα τὴν εἰς Σικελίαν ἄφιξιν τὴν δευτέραν* (ad. Dionysium II), *ἀναγκαῖον εἶναι ἔδοξέ μοι ῥηθῆναι δεῖν διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν γενομένων· εἰ δ'*

ἄρα τινὶ τὰ νῦν ῥηθέντα εὐλογώτερα ἐφάνη καὶ προφάσεις πρὸς τὰ γενόμενα ἱκανὰς ἔχειν ἔδοξέ τῳ, μετρίως ἂν ἡμῖν καὶ ἱκανῶς εἴη τὰ νῦν εἰρημένα.

Harum igitur criminationum nonnullae certe tam peculiares sunt, vix ut potuerint saeculo post hominum in ore versari. Karstenum autem si sequeremur, putandum esset auctorem epistularum ex omnis generis scriptis — ut ex talibus, quales hae sunt epistulae — maledicta data opera conquisisisse ac congessisse, quae ex omnis generis scriptis — ut ex talibus, quales hae sunt epistulae — refutaret.

Maxime vero mirum videtur, quod tertium in Siciliam iter summa diligentia, permultis narrationibus eisque maxime singularibus, quas nemo nisi ipse Plato vel intimi eius familiares nossent, illustratur. Quomodo rhetor saeculo post Platonis mortem adduci potuit, ut hoc ipsum factum tam accurate enarraret et ab obtrectationibus defenderet?

Platoni ipsi proximis post reditum annis tertium iter a multis opprobrio datum esse, adeo ut ad illud copiosius tractandum ac defendendum incitaretur — scil. ep. III, quam defensionem postea VIIa repetivit et amplificavit, maxime consentaneum videtur: posteriori contra rhetori haec ratio deerat.

Atque unde auctori, nisi ipse fuit Plato, accuratissima illa omnium rerum notitia? Heinrich l. l. profitetur nos iterum iterumque ad eam opinionem reduci, ut sumamus auctori epistularum in extremis quidem ep. VIIae partibus bonum fontem praesto fuisse. Tam accurate vero dubito num vel rerum scriptores — Philistus, uti supra animadvertimus, iam ante illud iter decesserat — vel vitae scriptores de his rebus disseruerint; soli tales libelli, quales sunt IIIa et VIIa epistulae, quae quidem consilium defendendorum Platonis itinerum persequantur, occasionem habebant diligentissime illa enarrandi: ergo ut haec, de quibus agimus, scripta explicaremus, ad similia quaedam redeundum esset, id quod non videtur necessarium.

Anxie amplectuntur vv. dd. quod traditum est Speusippum — nimirum eum auctorem desiderant, qui rebus Syracusanis ipse interfuerit — *ἐγκώμιον* (an potius *περίδειπνον*?) *Πλάτωνος* scripsisse ac Steinhartius quidem (Vita Platonis pg. 12) putat, qua in re minime assentior, apte Speusippum descriptionem praeclarissimorum summi magistri morum annexuisse ad memorabile illud tempus,* quo philosophus ex academiae umbra progressus et factis et dictis operam contulerit ad potentissimam civitatem Graecam in meliorem statum redigendam.

Speusippum quod volunt auctorem fuisse, si quidem demonstrari posset XXXam epistularum, quae Socraticorum nominibus inscriptae sunt, genuinam esse, inde quod aliud est in hac epistula dicendi genus, aliud in VIIa Platonis, iudicaremus illam coniecturam non esse admittendam. Heinrich l. l. extremam partem ep. VIIae, cuius stilus melior sit, ad auctorem antiquum velut Speusippum redire opinatur; sed quod oratio illic non tam contorta est quam in ceteris ep. VIIae partibus, eius rei haec videtur mihi causa, quod res historicae ibi pluribus enarrantur nullis intermixtis de philosophia aut de re publica disputationibus. Omnino ne ad Speusippum confugiamus, refragratur locus VII pg. 350DE, quo Plato Dioni amicisque hortantibus, ut expeditionis socius sit in Siciliam adversus Dionysium faciendae, haec respondet: *οὔτ' οὖν ἡλικίαν ἔχω συμπολεμεῖν σχεδὸν οὐδενὶ κοινός τε ὑμῖν εἰμί, ἄν ποτέ τι πρὸς ἀλλήλους δεηθέντες φιλίας ἀγαθόν τι ποιεῖν βουληθῆτε· κακὰ δὲ ἕως ἂν ἐπιθυμῆτε, ἄλλους παρακαλεῖτε. ταῦτα εἶπον μεμισηκὼς τὴν περὶ Σικελίαν πλάνην καὶ ἀτυχίαν· ἀπειθοῦντες δὲ καὶ οὐ πειθόμενοι — — — τῶν νῦν γεγονότων κακῶν αἴτιοι ἐγένοντο αὐτοῖς κτλ.* Quibus ex verbis patere videtur neminem eorum, qui expeditioni Dionis vel interfuerunt vel operam ad eam contulerunt, — id quod Speusippum fecisse discimus ex Plutarchi vita Dionis cap. XXII in. — auctorem esse posse: talis homo de amicorum suove ipsius incepto non tam acerbe iudicasset.

* Cuius tamen exitu consiliorum Platonis effecta sunt nulla.

Atque haec res si prohibet, ne Speusippum ipsum epistulas composuisse putemus (Steinhart VIII pg. 306), non minus prohibet, ne librum eius ab auctore epistularum expressum esse statuamus. Omnino verisimile non videtur accuratam illam enarrationem in fine VIIae epistulae ex priore fonte depromptam esse, quoniam auctor hisce rebus aperiendis tantum tribuit, praesertim cum eum fontem cogitatione nobis fingere non satis queamus.

His igitur quae exposui demonstrasse mihi videor Platoni satis validas rationes fuisse, cur a multis criminationibus se defenderet, saeculo vero post easdem vix ita viguisse, ut eiusmodi scripta conficerentur neque tali rhetori, qualem fingunt viri docti, eam omnium rerum notitiam fuisse, quam epistulae fere omnes, praecipue VIIa, referunt.

Verum etiam de ceteris rebus vulgatae opinioni contraria opponi potest.

Steinhartius (t. IX pg. 11. coll. t. VIII pg. 309) sic disputat: „talis species, inquit, morum atque ingenii Platonis — qualis scilicet in his epistulis adumbrata est — si plane non vera fuisset, mox certe futurum fuit, ut asseclae disciplinae amore atque admiratione magistri inflammati istud simulacrum respuerent, adeo ut scripta, quibus historia ita deformaretur, fidem omnino invenire non possent; earum autem dubitationum nihil ex antiquitate percipitur.“

Quae recte ille disputavisse videtur, nisi quod ipsius sententiae consequentia arctioribus finibus circumscripsit, cum alia multa ex epistulis reiciat, de quibus idem dici possit.

Groteus sane arbitratur Platoni nullum omnino scriptum supponi potuisse, cum illa academicorum disciplina semper antistititibus deinceps floruerit; quos summi magistri libros diligentissme quasi sacrum quendam thesaurum custodivisse.

Sauppius contra dicit loco Diogenis de Aristophane (cfr. Karsten pg. 11 sqq.) nihil demonstrari, quoniam iste grammaticus etiam scripta a Platone certe abiudicanda

in genuinorum operum catalogum receperit, illis autem temporibus, quibus bibliothecae Alexandriae potissimum et Pergami condi coeptae sint, haud raro falsarios extitisse; quidni etiam scriptorum Platonicorum?

At Epinomidem opinari licet Aristophanem, si quidem dubitationibus locum dedit, e scriniis Platonis a Philippo Opuntio dispositam atque editam duxisse.*

Deinde etiamsi hic ille libellus non genuinus sive errore sive falsarii opera irrepserit, tamen non puto facile potuisse fieri, ut talia scripta, quales sunt hae epistulae, quibus vita philosophi ac mores, praecipuae sententiae et placita illustrentur, praesertim si nec res nec sententiae cum veritate congruerent, supponerentur aut apud serioris aetatis Platonicos omnesve doctos Graecos fidem invenirent.

In coniectura Karsteni et Steinhartii id obscurum est, utrum meras exercitationes scholasticas haec opuscula esse statuendum sit an consulto atque de industria supposita, maxime utrum sententiae et doctrina Platoni imputatae tamquam bona fide prolatae sint an fraus et dolus locum habuerint: illud Karstenus arbitratur, ad hanc opinionem inclinat Steinhartius.

Cum auctor Platonem gravissime defendat, cum fide eum egisse putes; verum si plane falsa ac Platoni minime apta placita ei subdidisset, nonne hoc esset versuti falsarii? Hac in re opinio illa secum ipsa parum congruere, ne dicam pugnare videtur.

Denique vero talem disciplinam falsariorum fingere non possum, qui eisdem omnes ducerentur consiliis, scriptis genuinis admodum imbuti pariter Platonis ingenium referrent, eadem autem senili oratione uterentur, quae ubique Leges Platonicas in memoriam reducat.

Quam quidem difficultatem vv. dd. ita solvere student, ut auctores minorum epistularum VIIam imitatos esse vel expressisse coniciant; at hoc satisfacere non videtur ad

* Ceterum mirum, quod imprimis Epinomis cum VIIa epistula et sententiis et verbis multis modis concinit.

manifestam illam similitudinem et rerum et orationis explicandam; neque mihi persuadet Karstenus (pg. 23) ut putem ep. VI et X eo consilio scriptas esse, ut quasi exemplis ostenderetur mira illa Platonis vis conciliandi adulescentium animos, quam praedicat ep. VII pg. 328D; aut ep. IX (Karsten pg. 22), ut documentum proponeretur hospitii a Platone cum Archyta facti (VII pg. 338 C 339 D); aut Vam (cfr. ibidem), ut defensio, cur philosophus a gerenda re publica abstinuerit, brevius repeteretur epistula ad alium principem data: haec opinio Karsteni quod putat minores epistulas scriptas esse ad illustrandas sententias Ep. VIIae, quaesita est et speciosa.

Etiam illud moneri potest in minoribus permultas extare res peculiaris naturae, quas frustra quaeras in septima.

Omnino ut dicam quod sentio: tales, quales Karstenus aliique fingunt et depingunt, falsarios a viris doctis huius saeculi inventos esse existimo.

Deinde Sauppius l. l. dicit ea re, quod III et VIII epistulae iuxta VIIam extent, demonstari diversas has esse unius atque eiusdem propositi scholastici tractationes: ego vero haud scio an ista dubitatio solvi possit: quidni sumamus Platonem, postquam IIIa ep. itinera sua defenderat, cum nonnullis annis post totam vitam illustraret, defensionem illam repetivisse? vel cum variis occasionibus Siculis consilia daret, eum potissima quaeque in VIIa comprehensa octava porro auxisse atque amplificasse?

Karstenus autem eo offenditur, quod Plato Syracusanis in summo discrimine versantibus tam longam tamque ieiunam epistulam miserit, qua multa eis copiosissime enarraret, quae scire tum neque interesset eorum neque quidquam eos posset iuvare, quodque amicis Dionis quae Syracusis nonnullis annis ante ipsi evenissent, licet omnia illis nota essent, accuratissime exposuerit.

Haec ut concedamus, tamen ne ego quidem Syracusanis, immo vero Atheniensibus potissimum hos libellos destinatos esse puto. Id si statueris, nihil obstat, quominus existimemus

Platonem, qui apud multos et potentissimos in Sicilia et Magna Graecia amicos gratia et auctoritate plurimum pollebat, familiares Dionis consiliis adiuvisse in re publica constituenda, si non hac VIIa epistula, at aliis; potius VIIIam ep. ad Syracusanos missam esse probabile duxerim.

Quodsi quaedam secretae epistulae in hac collectione sunt, cum aliae tum XIIIa, in qua multae res leguntur ad unum Dionysium pertinentes (e. c. pg. 363 B significatio de litteris commendaticiis magis minusve curandis), hoc inde explicari potest, quod qui epistulas e Platonis scriniis edidit — sive is Philippus Opuntius fuit sive quis alius discipulus —, praeter scripta ab ipso philosopho olim edita (dico imprimis IIIam et VIIam ep.), ex copia epistularum elegerit, quae ad commercium Platonis cum excellentibus principibus habitum spectarent et conferre possent ad illas rationes melius illustrandas, partim etiam placita philosophiae memoratu digna continerent.

Ceterum scriptores eius aetatis alio stilo composuisse quas privatim darent epistulas, alio quas simul publico usui destinarent, merito animadvertit Blassius in examinanda IV Isocratis epistula (Or. Att. II pg. 301 sq.),* quae ep. in collectione Isocratea similem locum obtinet atque in Platonicarum collectione complures, maxime autem XIIIa.

Imprimis vero ut genuinas epistulas iudicem, me movet quod variis locis, praecipue in VIIIa pg. 353DE, auctor cum summo timore futurum Siciliae statum, imminentia maxima pericula providet. Nam si post Timoleontem fuisset, qui moderatior et felicior Dionis successor Siciliam a barbaris liberavit, minime hoc modo eum locuturum fuisse existimo.

Quantum metum referunt verba praesaga mente edita (pg. 353E): *ἥξει δέ, ἐάνπερ τῶν εἰκότων γίγνηταί τε καὶ ἀπευκτῶν, σχεδὸν εἰς ἐρημίαν τῆς Ἑλληνικῆς φωνῆς Σικελία πᾶσα Φοινίκων ἢ Ὀπικῶν μεταβαλοῦσα εἴς τινα δυναστείαν καὶ κράτος· τούτων δὴ χρὴ πάσῃ προθυμίᾳ πάντας τοὺς Ἕλληνας τέμνειν φάρμακον.*

---

* Isocrates ipse dicit se illam epistulam non edere, ut exemplum proponeret iusto stilo confectae, sed vero consilio ductum.

Confer VII pg. 350D *πάντων τῶν νῦν γεγονότων κακῶν* pg. 351E *ᾧ δὴ σφαλεὶς κεῖται (Δίων) Σικελίαν πένθει περιβαλὼν μυρίῳ.*

Ubicumque Dionis interitum tangit, scriptor queritur maximam eam Siciliae calamitatem fuisse, proinde ac si illo erepto iam omnis spes evanuerit, tota Sicilia in barbarorum manus mox sit ventura: at profecto post Timoleontis res felicissime gestas nimius hic luctus et metus absonus erat atque ineptus.

Quae res non fugit Steinhartium; itaque coniecit (t. VIII pg. 310) epistulas VIIam et VIIIam saeculo post regnante Hierone II, qui consilia Platonis partim ratas fecerit, scriptas esse: quo num necesse sit confugere, maxime dubito.

In his locis de Siciliae fortuna deque Dionis fato pulcherrimum auctoris ingenium atque praeclarissimus sensus elucet; omnino spirant epistulae virtutis, amicitiae, patriae, omnis denique humanitatis amorem, egregio philosopho apprime dignum. Sane quidem hic illic spiritus quidam senis Platonis pellucent, sed considerandum est ad summum et potentissimum tyrannum virum Atheniensem liberum et ingenio principem scribere; cui quae oratio adhibenda fuerit, difficile est praecipere. Praeterea etiam in libris de Legibus nonnulli loci leguntur, quibus Atheniensi, oratori praecipuo, nimiae quaedam laudes tribuantur (Cfr. pg. 626D 683C 688D 811CD 888D 898B 899D 905D 918C 931E al.).

Ut denique stilum atque orationem epistularum paucis tractemus, statim mirum est, quod ex ceteris Platonis operibus imprimis libros de Legibus ab auctore sive auctoribus imitando expressos esse aiunt; quod opus maximam certe partem eisdem fere annis a sene Platone conditum est, quibus pleraeque epistulae sunt exaratae. Ipse Karstenus pg. 27 profitetur: „nec ullum facile scriptum reperias, in quo Platonis oratio multis partibus accuratius expressa sit, quam in epistula VIIa.“ Quod vero addit hoc leviter et obiter intuenti sic videri, altius penetranti liquere non verum esse colorem, sed fucatum, non proprium

ornatum, sed adscitum, equidem profiteor me contra sentire: immo si quis ex libris de Legibus proficiscens stilum cogitatione sibi informet, quo Plato tum temporis in componendis epistulis usus sit — cui litterarum generi minus curae adhiberi solet —, in talem, opinor, stilum delabitur, qualem in his scriptis videmus. Quot locis Astius, Karstenus, Rohrerus epistulas et libros de Legibus sententiis, dictionibus, vocabulis inter se congruere concedunt!

Propriis autem vocabulis, quae in ceteris operibus non extent, afferendis haud quidquam demonstratur; ex quovis dialogo talia congeras. Nempe prioribus in operibus in singulis paginis Teubnerianis singula, in posterioribus fere bina vocabula propria reperiuntur; Politicus, Phaedrus, libri de Republica, libri de Legibus bina vel terna exhibent, Timaeus quaterna, Critias quina; atque in his quidem tantus est numerus cum propter senis Platonis studium singularis sermonis tum maxime propter rerum, quae tractantur, peculiarem naturam.

In epistulis II—XIII 93 vocabula propria leguntur, inter ea 5 *ἅπαξ λεγόμενα*, quae in litteris Graecis nullo alio loco extant: *μεμηνιμένως* III pg. 319B, *ἄνθεξις* VI pg. 323B, *καταμαλθακίζω* VII pg. 329D, *ἔμμεστος* VII pg. 338D, *μεταπομπή* VII pg. 348D; reliqua pleraque apud bonos scriptores reperiuntur, 18 tantum ab auctoribus multo posterioribus usurpantur.

In Phaedro, quem dialogum e. c. in accuratiorem comparationem adhibui, sunt inter 190 vocabula in hoc uno dialogo usurpata 7 *ἅπαξ λεγόμενα*, tria praeterea, quae tantummodo citantur; atque 40, quae apud Plutarchum demum aliosve serioris aevi scriptores occurrant: eadem igitur plane est ratio quae in epistulis et liquet hanc non esse causam, cur illas spurias ducamus.

Omnino in talibus de stilo — sicut etiam de placitis philosophiae — quaestionibus difficile est definire, quos dialogos in comparationem voces quibusve metiaris: sane cum libris de Republica elegantia praestantissimis epistulas comparare iniquum esset.

Porro hic illic anacolutha satis gravia offendere lectorem (Ep. II pg. 319C VII 324DE, 330D, 344E, 348BC, VIII 352E) negari non potest, attamen haud pauca etiam in libris de Legibus reperias; cfr. e. c. pg. 734E, 736CDE, 744B, 769A 959C 967C al., Zeller Studia Platonica pg. 99; quae res in utrisque scriptis inde explicanda est, quod ex scriniis Platonis a discipulo eius edita sunt.

Figurae verborum et sententiarum admodum crebrae sunt in epistulis: ea tamen frequentia ex iudicio in Gorgia dialogo a Platone lato vituperanda non est; ipse philosophus in posterioribus scriptis haud raro eas adhibuit, in libris autem de Legibus admodum frequenter occurrunt.

Qua in re forsitan etiam hoc animadvertendum, quod praecipuae epistulae ad Siculos, talium rerum aucupes, scriptae sunt.

Hiatus in epistulis nondum satis in quaestionem vocatus est. Auctore Blassio (Or. Att. II pg. 436) Plato in posterioribus scriptis in hiatu vitando cautior fuit. Jam vero notandum, quod in primis epp. XIII et II (a. 365—363) altero tanto maiorem numerum invenimus, quam in epp. VII et VIII a. 352 exaratis.

Similiter Dittenberger (Hermes XI pg. 330 sqq.) demonstravit quasdam formulas et vocabula quaedam in scriptorum Platonicorum serie plus minusve usurpata esse indeque rationes petere studuit, quibus tempora librorum definiret. Quibus in vocabulis sunt etiam *ὥσπερ* et *καθάπερ*: illud in prioribus operibus, hoc in posterioribus magis magisque frequenter Platoni placuit. Num igitur fortuito factum esse censebimus, quod eae tantum epistulae, quae tempore priores sunt, XIII, II, III *ὥσπερ* praebent, in posterioribus vero IV, VII, VIII nonnisi *καθάπερ* usurpatur? — Videntur haec minuta ac vilia, sunt tamen me iudice haud parvi momenti.

Atque ut unum pro multis attingam, Karstenus diversis locis disserit vocabulo *σχεδόν* nimis frequenter uti auctorem epistularum; at lege hanc tabulam:

Vocabuli σχεδόν legimus exempla:

in Ep. II—XIII	24	in	64	paginis	Teubn.
in Epinomide	20	„	24	„	„
in Libris de Legg.					
I	7	„	34	„	„
II	11	„	30	„	„
III	15	„	66	„	„
IV	10	„	26	„	„
V	7	„	25	„	„
VI	11	„	32	„	„
VII	17	„	48	„	„
VIII	4	„	28	„	„
IX	7	„	37	„	„
X	5	„	36	„	„
XI	3	„	31	„	„
XII	11	„	35	„	„

Unde elucet in plerisque libris totidem fere exempla legi, quot in epistulis; in Epinomide etiam plura.

Sunt haec pauca;* plena atque subtilis tractatio stili et ceterorum operum comparatio propria eget commentatione.

Mendorum, quae in oratione offendunt, maximam partem non auctori, sed librariis tribuendam iudico: plurima emendata sunt ingenio criticorum, in primis Hermanni, Sauppii, Karsteni, Hercheri; alia etiamnunc medicina egere persuasum habeo.

Neque imitationes seu repetitiones ex ceteris Platonis scriptis tam apertae sunt et perspicuae, quam videntur Karsteno. Ceterum non video, cur Platoni, cum de eisdem identidem rebus dissereret, non eisdem uti licuerit vocabulis et dictionibus. Quid? nonne eius etiam rei exempla extant, ut idem auctor senex minus bene et sententiis et verbis exprimat, quae melius expresserat, cum aetate florebat?

Omnino non ita facile est summi scriptoris ingenium ac stilum sic imitari, ut falsarii fraudem aegre detegas, velut

* Est animadversio Blassii et in libris de Legibus et in epistulis plurimis locis breves syllabas cumulari idque frequentius, quam ut ea res casu possit effecta esse, non certa quadam scriptoris voluntate et studio.

talem centonem, qualem Karstenus iudicat esse epistulam VIIam, ex tot Platonicis scriptis * effingere.

Epistulae et argumento sententiisque et compositione atque stilo aliae pluris, aliae minoris sunt aestimandae: inde tamen num iure eas a diversis auctoribus compositas esse concludatur, magnopere dubito; etenim quivis scriptor in epistulas, quas diversis temporibus componit, modo maiorem modo minorem operam confert.

Unum restat, quod addam: iudicium criticorum cum de epistularum in universum pretio et virtute tum de singulis locis arcte cohaerere cum eorundem de origine earum atque auctoritate sententia. Marsilius Ficinus eiusque aequales haec scripta valde sunt admirati; recentiorum criticorum plerique vilia opuscula esse iudicant, velut Sauppius declarat mirum esse, quomodo fieri potuerit, ut priores talia pro Platonicis habere possent. Groteus contra et Cobetus haud spernenda documenta esse arbitrantur, unde et res Siculas et vitam moresque ac placita philosophi cognoscamus. Singularem locum ut depromam, lege Steinhartium (t. VIII pg. 397 not. 4) ad Vam epistulam haec annotantem: „Astius, inquit, vituperat, quod diversae rei publicae formae cum sonis comparentur, qui puri atque ita, ut non permisceantur, servandi sint: at profecto si in genuino Platonis scripto legeretur comparatio, haud dubie ab omnibus ut ingeniosa rite laudaretur.“

Quod ego quidem sentiam, sunt epistulae ad unam omnes Platonis ingenio non indignae; quin haud pauca in eis leguntur praeclarissime dicta.

---

* Nimirum docet ille (cfr. pg. 246) cetera opera prope omnia imitando expressa esse.